Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30546035

pinel médecin fecit laquerbe redegit
potius . . . .

CONSPECTUS PHYSIOLOGICUS DE FONTIBUS

DIFFERENTIARUM INTER HOMINES

RELATIVE AD SCIENTIAS.

QUEM, Deo duce, & auſpice Dei-Parâ, in Auguſtiſſimo Ludoviceo Medico Monſpelienſi, tueri conabitur, Auctor, J. *ANTONIUS-CLAUDIUS CHAPTAL, Nojarenſis apud Gabalos, Liberalium Artium Magiſter, & jamdudùm Medicinæ Alumnus, die menſis Novembris anni* 1776.

PRO BACCALAUREATUS GRADU CONSEQUENDO.

MONSPELII,

Apud JOANNEM MARTEL NATU MAJOREM, Regis, Univerſitatiſque Typographum Conſuetum.

M. DCC. LXXVI.

DISPUTATURI

N.N. D.D. PROFESSORES REGII.

N. D. JOANNES FRANCISCUS IMBERT, *Cancellarius & Judex.*

N. D. PAULUS-JOSEPHUS BARTHEZ, *Cancellarius & Judex Adjunctus.*

N. D. FRANCISCUS DE LAMURE, *Decanus.*

N. D. CAROLUS LE ROY, *Pro-Decanus.*

N. D. GASPARDUS-JOANNES RENE.

N. D. ANTONIUS GOUAN.

N. D. FRANCISCUS BROUSSONET.

N. D.

Wellcome Library

AVUNCULO CARISSIMO,

D. D.

CLAUDIO CHAPTAL,

MEDICO-PRACTICO MONSPELIENSI, OLIM VICES PROFESSORIS IN ANATOMIA ET BOTANICA DIPLOMATE REGIO GERENTI,

AVUNCULE CARISSIME,

Inſpice, ſi poſſim donata reponere cultu;
HOR. *Ep. L. I.*

Add. hum. Nepos tuus J. A. CLAUDIUS CHAPTAL.

Caſtor, gaudet equis; ovo prognatus eodem
Pugnis. Quot capitum vivunt totidem ſtudiorum
Millia. *Hor. Sat. Lib.* II.

RATIO OPERIS.

NUM inter homines alia occurrunt diſcrimina in morali & phyſico, præter ea quæ ex honoribus, dignitatibus, inſtitutione aliiſve vitæ circumſtantiis, petuntur? Vel è contrà ſuntne ſpecifici caracteres, quibus ex naturâ quidam homines aliis ſupereminent? Ità ne ſe habent individua ſpeciei humanæ, ac corpora cœleſtia, quorum quædam, veluti totidem ſoles, in immenſo ætheris tractu coruſcant, & aliis planetis corporibuſve opacis lumen impertiri, deſtinantur? Ardua ſanè quæſtio; unicâ ſanioris phyſiologiæ face, illuſtranda. Soli phyſiologiæ datum eſt, per phœnomena obſervata præſtantiſſimas principii vitalis & animæ modificationes aſſequi, introſpicere, quid debeat homo primitivæ conſtitutioni, quid, climati, regimini politico & educationi.

Immenſus qui oculis panditur horizon, non deterruit debiles meas vires; auſus ſum & ipſe rapido intuitu ſublimia hæc luſtrare objecta. Non, quid elaboratum & ex omni parte concinnatum, offerre molior; cùm ſumma quæque ingenia vix tale opus præſtare poſſint. Rem indicare, non vero copioſè pertractare volui; animuſque fuit indigitandi, quantùm veræ phyſiologiæ lumen, novas plagas & vix quidem introſpectas perluſtrare poſſit: interdùm animus ſummâ inexpectatâque perfuſus eſt voluptate, percipiens intimam relationem quæ viget inter medicinam aliaſque præſtantiſſimas artes: quidquid ad hominem pertinet, à ſe alienum non reputat ars medica: hominis phyſici & moralis omnes comprehendit relationes; ex arte medicâ igitur, principia haurire debent, politica ſcientia, moralis, regimen politicum, puerorum inſtitutio.

Diverſæ hominis facultates ità implicatæ exiſtunt, ut ſi unà conſiderentur, vix ordo ſervari poteſt; neceſſum itaque eas modò abſtracto ſingulatim inveſtigare, & varia

principii vitalis & mentis attributa ſucceſſivè perpendere.

Suppono tanquàm nota, quæ de omnibus hominibus generatim obſervata ſunt à Phyſiologis, circà mobilitatem, ſenſibilitatem, organa ſenſuum, animi affectus & intellectûs facultates; vel ſaltèm, non attingo, niſi obiter, quædam principia, quæ ad elucidandas inquiſitiones noſtras neceſſaria ſunt; principia autem illa deprompſi, ab hujuſce inclytæ academiæ patribus, qui primi, dùm in europâ mechanicorum placitis aliæ reſonant academiæ, veras economiæ animalis leges ex obſervatione deductas, edocere, promulgare ſtudent: Hi, quibus, ab omni ævo, quaſi hæreditariâ ſucceſſione, datum eſt medicinæ fundamenta fulcire, noſtris temporibus ad exempla *Neutoni* ſeſe componentes, quàm revolutionem ipſe peregit in phyſicâ, ipſimet peragunt in medicinâ, quàm methodum ipſe ſecutus, ipſimet ſectantur: ſummorum igitur in arte magiſtrorum veſtigiis inhærens, ipſorum principiis quemlibet gradum aſtruxi in iſtâ diſſertatione.

Lectores iterùm monitos volo, me tantùm in medium proferre tentamen, quod quidem forſan, ſi non abnuant vires; & ferre poſſint, maturior ætas, cultura, experientia, novo ſub aſpectu ſeſe prodet: donec autem emergentis auroræ affulgeat optata dies, hunc Conſpectum Phyſiologicum quadripartitum offero. Inquiro, 1°. Differentiam quàm natura poſuit ipſamet in principio vitali & morali diverſorum individuorum. 2°. Genus inſtitutionis, indoli evolvendæ maximè accommodatum & legibus economiæ animalis innixum, inveſtigo. 3°. Perpendo effectus profluentes à climate, tùm in phyſicum, tùm in morale. 4°. Generalia quædam leviter attingo de regimine politico, ſanctè abſtinendo ab omni indagatione particulari.

Ne quis vitio mihi vertat, apud antiquos tùm græcos tùm romanos exempla moralia hauſiſſe, mentemque cœleſtibus donis ditatam contemplari omiſiſſe; quippè dùmtaxat

indicare volui, quid præſtare poſſit mens ſubſidiis naturalibus innixa ; cætera inquirant Theologi.

Non diſquiram quiſnam corporis habitus ingenii dotibus magis faveat ; an procerus, vel humilis ? Gracilis, an toroſus ? Notum eſt ſummos extitiſſe viros, qui hoc vel illo indiſcriminatim donati fuêre corporis habitu (*a*) : ſemotâ igitur qualicumque forma corporis, perſcrutandus venit peculiaris ille exiſtendi modus principii vitalis & intellectualis in diverſis individuis indèque eruenda organiſationis differentia.

Si autem economia animalis intellectui humano patere poſſet, veluti ſupremum Numen eam contemplatur ; ſi principii vitalis revelaretur intima natura, tunc uno oculi intuitu comperta eſſent, illius attributa eſſentialia, ipſius cum animâ commercium, modificationes peculiares quibus præeſt in analogis functionibus diverſorum individuorum. Uno verbo, quaſi in tabellâ veris vividiſque coloribus depictâ, oculis exhiberentur ſimilitudines & diſcrepantiæ quæ in diverſis hominibus occurrunt ; indè, oculis exhiberentur abditæ cauſæ, quæ hunc ad matheſim iſtum ad poëſim aut facundiam, illum ad inveſtigationem rerum naturalium, alterum ad rei militaris aſſequendos honores, &c. impulſu quodam vehementi adigunt.

Cùm vero cognitio illa prorsùs ſit homini denegata ; quid ſupereſt ? Niſi ut illius vitalis principii inquiramus leges in individuorum ſerie, & ex varietate effectuum in hiſce deprehensâ, principia exindè deducamus generalia ? Licèt enim abſcondita ſit & altâ mente obruatur illius principii eſſentia ; attamen ſcintillæ quædam è mediâ nube quaſi pro-

(*a*) Verum quidem eſt quod illæ qualitates externæ, ut ſtatura, robur, &c. Nequaquam influant in morale ; ſed negare nefas eſt maximam eſſe analogiam proprietates inter intrinſecas principii vitalis & animæ ; magna enim ſenſibilitas phyſica magnam denotat imaginationem ; ſtupor phyſicus analogum in morali denotat ſtuporem ; undè de morali per phyſicum haud rarò judicatur.

rumpentes, non-nihil fulgoris afferunt, ſi ſedulò colligantur quæ hinc indè occurrunt ſparſæ luminis particulæ.

Porrò, in corpore vivo, occurrunt duo principia, economiæ animali proſpicientia & inter ſe planè diſtincta (*b*); unum vitale dictum, quod per leges ſensûs & motûs diverſimodè combinatas phyſicas dirigit functiones, dùm alterum moralibus proſpicit. Utriuſque principii præcipuæ facultates in omnibus individuis probè conformatis elucent: aſt quàm magna percipitur varietas in energiâ, in effectibus qui profluunt ex illis vitæ cardinibus? Spaſmus, convulſio vel leviſſimâ de causâ in illo excitantur, in alio vix exſuſcitari valent: organa digeſtionis, generationis, &c. In quibuſdam pollent energiâ, languent in aliis: ſyſtema muſculare modò eſt robore præditum, modò valdè mobile & imbelle; nunc adnutum voluntatis cum ſolertiâ exquiſitâ obtemperans. Fiunt in omnium organa impreſſiones objectorum externorum, ſed quàm diverſimodè impreſſio illa ſuſcipitur? Non ſemel in animâ producitur ſimplex ſenſatio, dùm aliquandò in certis individuis, ex eâdem impreſſione enaſcitur commotio, ſubſequitur perturbatio in principio cogitante & ſentiente.

Varietas illa principii vitalis & intellectualis in diverſis hominibus, ex multiplici fonte manare videtur: diſcrimen illud ex ipsâ naturâ præprimis repetendum eſſe, nemo, præter *Helvetium*, certè ibit inficias.

(*b*) Evidens autem eſt principium morale, omnibus functionibus regendis moralibus & phyſicis prorsùs impar eſſe; quod quidem invictè jamjam demonſtravit Ill. Barthez, in ſuâ *novâ doctrinâ*, cap. XVI. ubi ponit ſolida fundamenta metaphyſices circà corpus humanum: ubi affulget gratiſſima veris Medicis aurora quam quidem brevi ſubſequetur dies ille præoptatus, qui ex iſtâ academiâ undique puros vibrans radios, purum lumen ubique diffundet. Si quis putet Ill. Cancellarium in ſcenam revocaſſe animam *Sthalii* & ſectatorum, ipſius documenta & ſcripta acri ſtudio proſequatur & principium vitale ab animâ prorsùs diſtingui comperiet.

CONSPECTUS

CONSPECTUS PHYSIOLOGICUS
DE FONTIBUS
DIFFERENTIARUM INTER HOMINES,
RELATIVE AD SCIENTIAS.

PARS PRIMA.

De differentiis à naturâ poſitis in præſtanti organiſatione principii vitalis & intellectualis.

DE principio vitali præmittenda quædam veniunt, ut pateant in variis entibus ipſius modificationes. Principium autem illud ſingulas individui particulas animat, vivificat: nervi eximiâ gaudent ſenſibilitate (*a*), muſculi maximâ mobilitate fruuntur (*b*), motum & ſenſum

(*a*) Non tamen, ut arridet Phyſiologis, ſoli nervi ad organi ſenſibilitatem conferunt; verùm quidem eſt quod ſecato nervo partem ſubeunte, pereat ſenſus in illâ parte; ſed nonnè idem evenit, ligata arteria? Concludamus ergò omnes partes in organum confluentes, plus minuſve ſenſui conferre, ſicut & motui. Vid. inſuper quæ dixit Ill. Barthez, in Orat. de princ. vit. p. 12.

(*b*) Ill. Lieutaud, more ſuo de re anatomicâ præjudicatas opiniones ſuccutiens, membranam *Dartos* dictam nequaquam eſſe muſculoſam deprehendit; motu tamen evidentiſſimè donatur. Idem dicendum de dura-matre, &c. non igitur ſoli muſculi ſunt mobiles.

quædam partes ſimùl referunt (*c*) : ex permixtione, vel, ut ità dicam, confuſione harumce partium ipſarumque particularium vitarum, exurgit vita organica cuilibet viſceri propria, ipſum organum vivificans munerique obeundo diſponens; non ſecùs ac ex variis radiis ſolaribus per ſpeculum diverſimodè refractis & in focum coadunatis exurgit lumen totale vividius micans. Non igitur immeritò recentiores Phyſiologi quodlibet organum, tanquàm ſibi ſoli ſufficiens, ſibi finxere : aſt more ſectatorum iſta longiùs protrahere caveamus; quodlibet viſcus vitâ propriâ donari, foveri, nemo parùmper attendens certè ibit inficias (*d*); interim tamen vitam illius ab aliis prorsùs independentem non eſſe, nos monet obſervatio; viget enim ſympathia, ſtrictus deprehenditur nexus omnia inter organa economiæ animali opitulantia, & organicarum vitarum quaſi concurſu, exurgit vita quædam generalis.

Igitur in vitâ cujuſlibet organi conſtituendâ, conferunt omnes partes in organum confluentes; quælibet, ratione vitæ ſibi propriæ, vitæ totali inſervit; nerveæ plùs quàm aliæ, arteriæ deinceps, & ſic de cæteris : jàm verò, ex hiſcè omnibus particularibus vitis organicis, exurgit vita generalis quæ viciſſim plùs minùſve cuilibet debet organo (*e*).

(*c*) Vid. Baglivi de fibrâ motrice.

(*d*) *Vitam habent non animantia, vitam habent animantia & animantium partes.* Hippoc. *de alim.*

(*e*) En conſpectum generalem doctrinæ quam edocti ſumus in ſcholâ Monſpelienſi. Nequis opiniones apud veteres vigentes, in medium revocari indoctè aſſerat : patrum enim dicta, cum Ill. Cancell. Barthezii documentis ſcriptiſque conferat; & ab illis, præter nomen vagum (*principium vitale*) nihil aliud mutuari, videbit. Quis enim, ævo præterito, illius principii vitalis varias leges, in diverſis functionibus corporis humani ſcrupulosè ſubſecutus eſt ? Quis, illius phœnomena in quâlibet functione contingentia, ad vera revocavit capita ? Quid enim, hucuſque Phyſiologi ? Tanquam vaga habentes economiæ animalis phœnomena, ipſorum nexus nequaquam inveſtigantes, legi generali illa adſcribere ſatis habuere. Felicior noſter ævum, illa facta diſperſa collegit, ſagaciter com-

Jàm verò hujuſce vitæ principii facultates, ſunt ſenſus & motus, per quas diverſimodè combinatas variis corporis functionibus proſpicit (*f*), harumce varietates nunc explanandæ veniunt. Cùm verò in hâc Diſſertatione animus ſit pertractandi differentias quæ occurrunt in phyſico & in morali, de varietatibus obviis in principio morali quædam ſubjungemus.

Nunc verò, ità intelligi velim aſſerta varia circà peculiares principii vitalis caracteres, in viris præſtantibus, ut non ex omnium præcisè collectione judicium ſit ferendum; quidam etenim reperiuntur in quibuſdam, quidam in aliis: quippè quemadmodùm nulla eſt ſanitas perfecta, juxtà Celsum, & tamen concipitur quid ſit, & in quo conſiſtat, imò & deſcribitur & habetur tanquàm terminus à quo plùs minùſve recedunt ſtatus individuales, ità delineavi omnium maximè exoptandam organiſationem, à quâ plùs minùſve recedent aliæ in medium adductæ.

§. I.

De connatâ differentiâ in ſenſu & motu.

Vigent in diverſis individui partibus diverſi gradus ſenſibilitatis; viget & pariter ſumma varietas in ſenſibilitate diverſorum individuorum (*g*). Relativè autem ad influxum

---

paravit, ipſorum ingenioſè ſectatus eſt analogias, rigoroſas ex illis deduxit conſequentias, ſic in certa digeſſit capita & illa ad ſummum vocabulo à Veteribus cognito aſcripſit. Porrò hoc ne eſt, in medium revocare exoleta aliorum cogitata? Felix ergò fuiſſet qui totum opus coordinavit, ſi inſuper *vocabulum* creaſſet!

(*f*) Miror equidem, quod qui recentiſſimè ſcripſerunt dubium moveant; an ſcilicet Ill. noſter Barthezius motum & ſenſum excludat? Cum duplici illo cardine tota innixa maneat ipſius doctrina: alia jacent in opere nuper edito quæ aperte demonſtrant, Neotericos doctrinam ampl. Cancellarii nequaquam intellexiſſe; & dumtaxat illam judicaſſe ſolo operis titulo.

(*g*) Huc uſque Phyſiologi, omnia economiæ animalis phœnomena multimodè contorquentes & ad ſuas leges mechanicas cogentes, variis ſenſibilitatis gradibus cauſas aſſignarunt. Fibras corporis, veluti chor-

reciprocum mutuumque commercium ; mentem inter & principium vitale deprehenſum , duplex admittenda veniret ſenſibilitatis ſpecies ; ſenſibilitas nempè inhærens & propria principio vitali , qualis eſt ſenſibilitas cujuſcumque organi, ut cordis , jecoris , &c. quâ ad diverſa obeunda munia fiunt diſpoſita & in quàm in ſtatu naturali nullum habet influxum anima : altera verò ſpecies ea eſt quæ per corporum impreſſionem externè vel internè agentium excitata, ſenſationem in animâ producere valet : hujus poſterioris varietas à nobis diſquirenda venit.

Independenter à variâ ſenſibilitate quæ aliundè foveri poteſt, putà, vitæ genere, clymate aut aliis circumſtantiis (*h*); occurrit nativæ ſenſibilitatis graduatio in variis entibus.

In quibuſdam enim difficili operâ exſuſcitatur ſenſibilitas , materiâ quaſi obvoluti in ſtupore languent.

In aliis ècontra adeò exquiſita eſt & vivida , ut facili operâ ſuſcipiant impreſſiones objectorum externorum , quæ verò uno quaſi momento evaneſcunt ; obſervatur apud urbanos. Hæc ſunt duo ſenſibilitatis extrema nequaquàm exoptanda.

Tertia ſenſibilitatis varietas , quæ inter alias gradum me-

---

das elatere donatas ſibi fingentes, in diverſis individuis varios tenſionis gradus ſuppoſuêre; undè pro vario tenſionis gradu, plùs minùſve corporum externorum impreſſioni ſuſcipiendæ, aptæ fiebant: modò prorsùs abſurdo ad ſenſorium uſque communè mechanicè propagabantur impreſſiones; & animam, neſcio prorsùs quo fato faſcinati, quaſi fidicinem habentes, illam pro gradu tenſionis chordarum in hâcce parte ſuppoſitarum diverſimodè modulantem ſibimet effinxêre: indè varietas facultatum intellectus in diverſis individuis deducebatur: hæc opinio Ill. Virorum libris conſignata, hucuſque in medicinæ dedecus viguit : Aſt. Medici! Ubi anatomia? Ubi judicium? Ubi obſervatio?

> Multa tegit ſacro involucro natura ; neque ullis
> Fas eſt ſcire quidem mortalibus omnia : multa
> Admirare modò, nec-non venerare : neque illa
> Inquires quæ ſunt arcanis proxima, namque
> In manibus quæ ſunt hæc nos vix ſcire putandum.

(*h*) Vid. Ill. Fouquet in art. ſenſibilité, *dans l'Enciclopédie.*

dium obtinet, quæque maximè exoptanda, ſtabilienda nobis videtur. Iſta, leviſſimâ quidem de cauſâ exſuſcitatur, ſed tenore quodam & energiâ principii vitalis manet impreſſio: in hâcce præſtanti ſenſibilitatis conſtitutione, adnutum cauſæ agentis in corpus, fit commotio quædam generalis, quâ intimè percellitur totum individuum: veluti enìm ſtrepens ſonus undique circumſonans, roboratur in valle profundâ rupibuſque præruptis obſitâ; ſic, dolor vel voluptas, dùm iſta viget ſenſibilitatis ſpecies, totum ſyſtema ſenſibile pervadunt, intùſque profundè reſonant, præſertìm in regione diaphragmatis, in quàm ex ſingulis partibus videtur reflecti ſenſus doloris voluptatiſve (*i*); ad illam epigaſtrii regionem referuntur emotiones illæ vividæ, expanſiones intimæ, quæ impreſſionem conſtantem & non fugacem producunt in individuo optimâ ſenſibilitate donato.

Senſibilitatis varietatibus nunc adumbratis, jàm facilè deprehendes præcipuas virium motricium modificationes, & quænam ſit omnium maximè optanda.

Si judicandum eſſet de viribus motricibus per aptam conformationem organi muſcularis, ille optimè à naturâ eſſet conſtitutus qui ordini proportionum, formæ elegantiam adderet, & cujus muſculi vigentes & debito volumine præditi durè delineantur, ſulcos exarantes in ſuperficie corporis: habitus ille athleticus indicatur formâ exteriori, organorum digeſtivorum & genitalium vigore; & licèt multum perficiatur exercitio, attamen quamdam diſpoſitionem à naturâ ineſſe, nemo ibit inficias. Ille verò mobilitatis gradus, cum ſenſibilitate obtusâ, de quâ jamjàm fuit ſermo, ſociatur.

Si è contrà virium motricium præſtantia deſumeretur

(*i*) *Quam ob rem ex omni corpore, potiſſimum circà thoracem, ſenſus ineſt, colorumque mutationes contingunt, hoc venas conſtringente & laxante.* Hippocrates de oſſ. nat. poſt illum Vid. Lacaze, Buffon, Hiſt. Nat. T. VII. Bordeu & alios.

ex motuum omnium facilitate, ex horum præciſione & elegantiâ, obſervatione quotidianâ probatum manet, hanc virium motricium modificationem vulgò exiſtere cum debilitate & ſenſibilitate exquiſitâ, & nec vigenti nec valido organo muſculari aſcribi. Vivida illa mobilitas efficit aptitudinem ad exercitia corporis quæ venuſtatem & concinnitatem requirunt.

Verùm omnium maximè optanda organi muſcularis & virium motricium conſtitutio, ea eſt, in quâ nec viget habitus prorsùs athleticus, nec illa mobilitas vivida incoërcibilis & quolibet vento impellenda, ſed in quâ adeſt vigor moderatus, vires tonicæ non-nimis evectæ ſimùlque facilitas conſtans & tenor mediocris, quæ quidem facilitas uniatur cum ſenſibilitate præſtanti, quàm jàm, ut tertiam ſenſibilitatis varietatem, propoſuimus.

Illa autem præſtans conſtitutio, pendet ex æquilibrio vires inter ſentientes & motrices: ſi enim energiâ præponderant vires motrices, obtunditur ſenſibilitas; ſi languet è contrà vis muſcularis, ſenſibilitas exquiſitior evadit. Athletæ cum viris litteratis in parallelum ducantur, & vera eſſe aſſerta noſtra deprehendes; in uno mobilitatem ad ultimum protractam, obtuſam verò ſenſibilitatem; in altero, evectam ſenſibilitatem, cum motu languente, reperies: utroque à ſtatu ſano & naturali deflectente.

Felix & præſtans ſenſibilitatis eximiæ & mobilitatis exquiſitæ concurſus, variis ſignis exteriùs ſeſe prodit (*k*): ut energiâ motûs tonici partium, facilitate motûs muſcularis, laborum tolerantiâ, ſuccuſſione facilè excitanda in toto individuo per impreſſionem quamlibet externam, ſomno parùm protracto & quem interrumpit levis in organa ſenſuum impreſſio.

Cæterum haud veriſimile eſt præſtantem illam organiſa-

(*k*) Quid de externis vultûs delineamentis ſit ſentiendum. Vid. Buffon Hiſt. Nat. T. IV.

tionem de quâ hic ſermo movetur , pendere ex optimâ utriuſque parentis conformatione , aut forsàn multò magìs ex fervido veneris æſtu quo parentes incenduntur in ſtatu copulationis (*l*). Quot & quanta mala averterentur à genere humano , ſi naturæ vocem ſolummodò audirent conjuges , nec niſi quandò annuit alma venus ad opus conjugale ſeſe accingerent ? Hanc rem ſedulò curaverat ſummus legiſlator Lycurgus , ut videre eſt apud Plutarchum.

§. II.

De connatâ varietate in ſenſuum organis, relativè ad ſcientias.

Nota ſunt organa quibus mediantibus ad animam uſque tranſmittuntur impreſſiones luminis , ſoni , odorum. Omiſſis quæ ſenſus ſeorſim ſumptos ſpectant de iis univerſim quæri poteſt. 1°. An effectus in ſenſuum organa producti ab eodem objecto , ſint abſolutè iidem , in diverſis individuis ? 2°. An varietas illa effectuum reſpondeat ſemper varietati ingeniorum ?

Quoad primum quæſitum , non ardua eſt reſponſio. Notum enim eſt quoſdam , independenter ab omni culturâ , percipere in objectis ob oculos poſitis , quæcumque ad ſymetriam venuſtatemve conferunt , non ſecùs ac quæ nocent vel deficiunt ; dùm alii de iiſdem objectis judicio ferendo prorsùs ſunt impares. Qui ad muſicam ſunt nati , cœco quaſi auris inſtinctu in judicandam harmoniam ducuntur , dùm ad minimam diſſonantiam vivida læditur organi conſtitutio ; alii indifferenter ad hæc omnia ſe gerunt. Extitere homines quorum ità tactus erat perfectus , ut vicem ferè aliorum ſenſuum ſuppleret ; nonnulli , ſi Auctoribus

(*l*) Maupertuis a obſervé que les Bâtards ont plus d'eſprit que les autres. Vid inſuper Roussel , in libro nuper edito act. generation. ſyſt. phyſ. & mor. de la Femme.

fides ſit, fuêre qui colores, figuras, ſolo tactu diſtinguebant. Aſt in explanandis ſenſuum differentiis, cur immorarer? Quæ poſſem hic referre facta, etſi miraculoſa, non majorem certè convictionem afferrent; hodiernâ enim obſervatione compertum habetur in hiſce organis innumeras eſſe modificationes (*m*).

Illa verò præſtans conſtitutio organorum ſenſuum, nùm ingenii indoli & acumini correſpondet? Quæſito ſatisfaciunt obſervata omnium temporum & locorum, quæ quidem in plurimis ſummis viris non demonſtrant, nec ſummam ſenſûs aciem, nec exquiſitiorem quamcumque horumce organorum conformationem; ſed ſi proſequamur ſenſationem uſque ad animam, quàm varii effectus in variis individuis occurrent? Homo vulgaris percipit relationes mente, ut ità dicam, imperturbata; in mente verò ſublimi & in aptis circumſtantiis poſitâ, excitatur quaſi ſubitò novus exiſtendi modus, transformatur, ſi ità loqui fas eſt, in objectum quod illius ſenſus afficit.

Molles fractaſque modulationes, tanquàm morum perniciem averſabatur ALEXANDER MAGNUS, delectabaturque maſculo cantu; indè muſicus quidam, accommodato ad illius ingenium cantu, ità mentem regis è ſuâ ſede dimovebat, ut divino quaſi inſtinctu exardeſceret, & veluti jàm hoſtè propinquo ad arma capienda pòſiliret. Qualitatum igitur Alexandri tanquàm ſpecimen erat ipſius auris (PLUTARQUE).

Neminem latet CÆSAREM Alexandri effigiem proſpicientem, hærentem manſiſſe, copioſas profudiſſe lacrymas hæc verba proferentem: *jamjàm orbem univerſum meâ ſubegerat ætate & ego nihil adhùc feci.* Cur autem aït HELVETIUS, hùc uſque poſt CÆSAREM Alexandri effigiem non illacrymantes contemplati fuêre homines? Quæſito ſatisfacit ipſemet: *non ampliùs ſunt Cæſares.* (*Comment.* CÆSAR).

(*m*) Plura facta ejuſmodi collegit HALLERUS, in ſuo theſauro Phyſiol. T. V.

Concendit

Conſcendit Carthesius culmina alpium, immenſus panditur horizon ipſius oculis; hìnc planities cujus vix definiendus circuitus, illìnc montes prærupti, flumina aquas graviter volventia : intonat cœlum & crebris micat ignibus æther : attollitur tanto ſpectaculo mens ſublimis Philoſophi, impellitur ad removendos ſcientiæ naturalis limites (Thomas).

Quid dicam de Newtono qui ex lapſu fortuito fructus maturi indagat cœleſtia phœnomena ſuiſque legibus adſcribit? Quid de affectibus profundis, quos parit concentus italicus in animâ facillimè commovendâ, dùm deauratis veſtibus quis præfulgens, horas lentè progredientes frequenti oſcitatione incuſat? Quid de profundâ commotione in animâ Ill. ex naturâ Pictorum inſurgente, Raphaelis vel Michel-Ange pulcherrimâ visâ tabellâ? Pictori, muſico, narrentur Cæsaris, Alexandri-ve egregia facta, & ſudor frigidus per tota membra diffluet (*n*).

Undè concludere pronum eſt, 1°. Quodlibet objectum varias impreſſiones ſuſcitare, in variis individuis, hìnc adagium, (*chacun voit avec ſes yeux*). 2°. Effectum in ſenſuum organa productum ingenii caracteri & indoli eſſe analogum.

§. III.

De nativis præſtantis animi affectibus.

Affectus animi, in præſtanti organiſatione, vel ad aliquam ſcientiam, vel ad virtutem referuntur : ſub utroque illo reſpectu, conſiderandi veniunt.

(*n*) Unuſquiſque à naturâ diverſimodè fuit conſtitutus, hìc eximiâ oculi organiſatione donatus, ad viſum tabellæ fabrè depictæ, ſubitò omnes ipſius proprietates ſimùl aſpicit, nulla ipſius pulchritudo, nullus defectus illi obtegitur, tutumque fert judicium; dùm alter illa eximia conſtitutione privatus, haud ſanè de eâ re judicare poterit, ad omnes enim relationes detegendas, comparandas, impar eſt.

I°. Gratum foret oculis ſubjicere, dulces illos motus, felices illos impulſus, quibus ſcientiæ cujuſpiàm aut artis liberalis ſtudio flagrans animus, primis annis exagitatur: utile certè & varietate jucundum offerrent ſpectaculum, tùm differentiæ quæ inter individua vigent, tùm ordo quo ſeſe excipiunt animi affectus in eodem individuo; ſed hæc omnia dumtaxat indicari poſſunt.

Impulſus animi ad magna tendentis, , extus ſeſe promit; ſollicitudine interiori, dedignatione nugarum puerilium, ſciendi cupidine, impulſu primùm generali in omnes ſcientias, ſed poſteà in eam quæ ingenio accommodata peculiari quâdam circumſtantia innoteſcit, lucubrationibus quibus juvenilis nec dùm vires adeptus indulget animus, nobili ſuperbiâ à vanitate multùm diſtanti, quâ altâ mente manent repoſtæ injuriæ, quâ in contemptum validè reagit animus, & placent laudes decenter impertitæ, &c.: aſt præprimis ſeſe prodit illa affectuum præſtantia, flagrantiſſimo gloriæ amore.

Sed, quod maximè notandum, vix modum ſervant, præſtantes illi viri; in quolibet, paſſionem quamdam prædominantem, & ad ultimum evectam invenies; hìc in juventute, nùnc ſtudio nùnc libidini laxat habenas: in iſto adeò profundè defigitur ſcientiarum amor, ut alios affectus prorsùs abſorbeat, Caton, Newton, Leybnitz, &c. Nimìs longus eſſem, ſi obſervatis quæ occurrunt in hiſtoriâ indulgere vellem: volve claſſem Mathematicorum, Poëtarum, Oratorum, &c. ubique erumpere videbis animi præſtantis vividas ſcintillas auroramque præclari qui futurus eſt diei.

II°. In primis annis, virtus principiis & reflexione ſuffulta non expectanda, hæc quippè eſt effectus culturæ, meditationis, inſtitutionis, &c. & ſupponit ſenſibilitatem moralem evolutam.

Nativa boni & honeſti proſecutio, quæ ſapit puras voluptates & inſtinctu naturali alias dedignatur, refertur in teneris annis ad parentes, ad familiares, ad miſeros.

Egregia illa indoles ſeſe prodit accenſo in parentes ſtudio, amore quo quoſdam ex familiaribus proſequitur (*o*); ſollicitudine, quâ eorum pœnis profundè percellitur animus; benefica propenſio in miſeriis aliorum ſublevandis ſpectat egregium animum : quid jucundiùs, quàm civium ærumnis occurrere? Aſpectus miſerorum, torquet, cruciat præſtantem animum, ſe illorum loco ſubſtituit, cum lacrymantibus lacrymas effundit, &c. uno verbo, vir illâ affectuum præſtantiâ donatus, rerum cauſas, relationes, apertè videns & naturam quaſi nudam & integram proſpiciens, ritè, opportunè, validè, ſemper commovetur.

Ubi verò vita organorum generationis, cùm cæterorum ſyſtemate conſentire incipit; quibus affectibus non movetur animus? inſolito prorsùs & novo exiſtendi modò tentatur, amoris illecebris illaqueatus : nùnc procelloſis affectibus agitatur, nùnc lenes animi motus fovet; uno verbo nihil conſtans exhibet.

Qui graphicè delineatam eximiarum animi qualitatum tabellam volet; contempletur, Epaminondam, Catonem, Titum, Marcum-Aurelium, &c. Proh Dii! ipſum Numinis ſupremi, ſanctuarium ingredi diceres; modeſtia, magnanimitas, privatæ utilitatis oblivio, felicitatis communis flagrans amor, etiàm in teneris annis venerationem quamdam menti incutiunt : in verbis, factis, eadem ſemper gravitas; in propoſitis eadem conſtantia; in adverſis idem animi robur : animam divinam ipſis eſſe ingenitam aſſereres.

§. IV.

De præſtantis intellectûs nativis facultatibus.

Intellectus vel refertur ad artes liberales; vel verſatur

(*o*) Parmi les jouiſſances de l'ame ſe trouve l'amitié, dans ces ames grandes & ſublimes. Il faut tant de rencontre à la bâtir, que c'eſt beaucoup ſi la fortune y arrive une fois en trois ſiècles, *aït* Phil. Montagne, de iſtâ verò amicitiâ non loquimur, cum ſupponat ætatem maturam & dotes culturâ jamjam evolutas.

circà ſcientias arduas, matheſim, phyſicam, medicinam, &c. ipſius evolutionem in utroque caſu obiter inſequemur (*p*).

I°. Artes liberales dominio imaginationis ſubjacent, imaginationis autem vividæ præſtantia, maturè ſeſe promit, alacritate, ingenii acumine, reſponſis promptis, aſſiduis diſtractionibus : illa imaginationis acies evolvitur in eâ ætate quâ præſtigiis & illuſionibus panditur anima : quodlibet objectum illi arridens, eam exſuſcitat : impellitur ad celebrandum quidquid jucundum ſeſe offert : incantamento quodam ornat varia illa objecta, &c.

Quò ætas ſit maturior, graviora & magis ſublimia meditatur argumenta; nonnunquam in iſtâ periodo, inteſtina quædam diſſentio mentem exagitat; ingenium verò eo vigore deſtitutum quem parit ſedula cultura, labitur, votiſque reſpondere abnuit; volatu ſublimi gravique lapſu alternatim agitatur; reſipiſcit tandem propriâ experientiâ; ſapientum monitis, graviorum ſcriptorum conſiliis, ad veram viam revocatur.

II°. Mens ad ſcientias arduas vergens ſeſe prodit curioſitate, quæ omnium cauſas inveſtigat, anxietate quâdam, indifferentiâ pro iis omnibus quæ curat vulgus, propenſione naturali ad omnia objecta ſublimia, &c. Scientias è longinquo contemplatur, tanquàm optatam metam; avidè oblatos libros evolvit; indiſcriminatim hùc illùc circumfertur : fortuito tandem occurrit illa ſcientia quæ illi arridet, illam acri ſtudio proſequitur. Ubì collecta fuit ſat ampla ſeges, vires proprias experiri lubet : minùs ſollicitè requirit quid ſenſerint alii, quàm quid ſit ſentiendum : rationis bilanci expendit aliorum cogitata; non ſecùs, ac alimentorum facultas digeſtrix, volvit, concoquit omnia,

---

(*p*) Noſtrarum idearum genealogiam jamjam delineavit Ill. Dalembert, in homine abſtractè conſiderato (*Diſcours préliminaire de l'Enciclopédie*). Utinam! ſummus ille vir ſenſu intimo edoctus evolutionem facultatum intellectualium per varias ætatum periodos fuiſſet proſecutus.

in propriam ſubſtantiam tranſmutat, hìnc fortior meliorque evadit.

Ut profundæ meditationi par evadat unicè ſtudet; quiſquis es, qui in ſcientiis abſtruſis & arduis claritudinem affectas, indè te profeciſſe ſcias; quò & protractioris & profundioris meditationis capax evadas: ea ſola, revelare poteſt quæque recondita: ea ſola, promovet illam mentis comprehenſionem quæ uno quaſi oculi ictu rerum immenſitatem complectitur. Adeas hiſtoriam ARCHIMEDIS, BARONII, NEWTONI, VIETE, VARIGNON, MONTESQUIEU, & antiquorum ſophiſtarum qui per ſex, ſeptem & ultrà dies, profundis reflexionibus immerſi, de phyſico parùm erant conſcii.

In liberalium artium cultoribus viget animi abſtractio, apprimè diſtinguenda à præcedenti; iſtam diceres ſuavè delirium (*enthouſiaſme*) (*q*): quippè in iſtis excitanda eſt admiratio fovenda illuſio, cum ſucceſſus dependeat eximaginatione vividâ quàm ſolummodò commovet quidquid eximiæ venuſtatis ſpecimen præ ſe fert.

§. V.

De influxu reciproco mentem inter & principium vitale.

Separatìm conſideratis facultatibus principii vitalis & intellectualis; nunc, quatenùs ſunt in mutua dependentiâ, quatenùs viget commercium ſtrictum inter utrumque principium, neceſſum eſt ut ſub illâ combinatione examini noſtro ſubjiciantur.

Sympathiam phyſicum inter & morale vigentem cognoverant veteres: à PLATONE illam ubique prædicari doctrinam, neminem, niſi veterum dogmatum prorsùs igna-

(*q*) » LE BRUN contemplait un jour les tableaux de LE SUEUR » dans le cloître des Chartreux à Paris; il étoit dans l'enthouſiaſme; & » malgré les ſentiments de rivalité qui le portoient à étouffer ſes transports, » il s'écria malgré lui: Ah! que celà eſt beau! Que celà eſt bien fait! Que » c'eſt merveilleux! *Elog. des Peint.*

rum, latet ; ubique, mentis & corporis exercitationis ſucceſſionem neceſſariam eſſe inculcat ; ubique, quaſi inito fœdere conſociari illa duo principia, aſſerit.

Noſtro ævo, Lacazius phœnomenum illud modò abſurdo evolvere conatus eſt ; vibrationes, oſcillationes à certis corporis centris, ad alias partes tendentes in ſcenam protulit : motus tremulus & ſubſultorius membranarum fibrillarumque nervearum, propagatus à cerebro ad reliquas corporis partes, conſenſum animam inter & corpus ſtatuebat, nunc verò alia meditamur (*r*).

I°. *Principium vitale multum influit in morale* : nemo non eſt expertus, quot viciſſitudines ſeſe mutuo excipiant in animæ facultatibus, pro variis vitæ periodis, pro locis habitatis, alimentis ingeſtis anni tempeſtate : modò ſerenitas animæ, in vultu ſplendet ; mox evaneſcunt illa delineamenta : nunc acris laboris capax eſt animus, nunc attentioni profundæ impar eſt ; & hæc non rarò proveniunt à perverſâ quâdam functione in principio vitali.

Non parùm influere morbos principii vitalis in animam obſervatione patefit : per febrem catharralem elegantiora ingenia memoriam perdidiſſe an. 1754, notum eſt (*s*) : litterarum rerumque peractarum reminiſcentiam multis periiſſe in peſte atticâ, narrat Thucidides ; memoratu dignum refert exemplum Phil. Montagne de quodam poëtâ qui eò relapſus eſt poſt morbum, ut vivente ipſo, ipſiùs poëmata in lucem ederentur ab alioquin ſuam operam dignoſceret : adſunt alii caſus innumeri, qui omnes influxum phyſici in morale apertè demonſtrant (*t*) : ſanato phy-

(*r*) De his, qui veras ideas ſibi efformare cupiet, meditetur eximium nov. doctrinæ articulum *de ſenſu & motu relatis ad mentem.*

(*s*) Mémoires de l'Académie.

(*t*) *Mens autem increſcit, cum adeſt ſanitas, cujus curam habere eos qui rectè ſentiunt præclarum eſt. Ubi verò corporis habitus dolet, mens ad virtutis exercitationem nullam adhibet diligentiam, præſens enim morbus animam vehementer hebetat, & intelligentiam in affectus cognationem ſecum adducit.* Democrite in Epiſt. ad Hippocratem.

ſico , nonnunquàm facultates intellectuales ſanantur.

Plurimùm labefactatur intellectus , ſi ſyſtema muſculare ſolum exerceatur & negligatur cura principii moralis , ut videre eſt apud ruſticos , bajulos , artifices noſtro ævo vigentes , qui ſemper eamdem rerum ſeriem veluti in circulum proſequuntur : quò magis exercetur phyſicum independenter à morale , eò magis hebeſcit animus : hìnc Macrobius rectè protulit , *hebeſcit uſus animæ denſitate corporis.*

Aſſertum confirmant famoſi antiquitatis athletæ , qui corporis robori unicè proſpicientes , victui duro corporiſque continuis exercitiis addicti , uni ſtudebant , ut æmulos ſuperarent : incraſſabatur quidem corpus , robur acquirebat , ſed omnes animæ facultates pari paſſu obſcurabantur , undè de illis pulchrè cecinit Homerus.

Agreſtes , ſtolidi , tantumque diurna ſcientes.

II°. Non minùs eſt imperium animæ in ipſum vitale principium : notum eſt ex gaudio vehementi , irâ fervente , &c. multos ſubitò fuiſſe extinctos ; quid verò ſibi volunt illa facta quæ hucuſque tanquàm myſteria in libris conſignata leguntur ? Ex poſitis principiis explicantur : viget enim ſtrictus nexus inter principium vitale & animam ; undè ira v. g. ad ultimum terminum evecta , omnes intellectuales perturbat functiones , ipſarum harmoniam invertit ; moralis illa agitatio quaſi oculi ictu tranſmittitur principio vitali per leges ſympathicas inter illa duo principia à creatore poſitas , in iſto profunda plùs minùſve exurgit commotio , & major aut minor ſubſequens in economiâ animali perverſio , quæ pro gradu intenſitatis nunc alterare ſolummodò nunc penitùs ſiſtere valet actionem principii vitalis.

Ad hanc legem ſeſe componunt hucuſque obſervata de affectibus pathematum animi in corpus , ut patebit ex obſervatis circà triſtitiam & metum.

Triſtitiam , languorem inferre in animæ facultatibus ; quis mortalium non fuit expertus ? Analogus ergò ſucce-

dere debet effectus in ipſum vitale principium ; hinc ipſius vires torpeſcent , debilitabitur motus partium tonicus , munia ſua vix præ debilitate obibunt viſcera præſertìm abdominalia (*u*) ; motu lento agitabuntur fluida, langueſcet fermentatio inteſtino-vitalis , peſſumdabitur vis digeſtiva ventriculi , &c. hæc omnia ex triſtitiâ ſuccedent ſi reverà detur ſympathia ſtricta inter animam & principium vitale : porrò , omnis ævi obſervata horum veritatem confirmant ; nàm , apud Baglivium , diarrhæas & ſcorbutum ; apud Pechlinum, ſchirros, cancros; gangrenas in vulneribus , apud Dionis ; obſtructiones , melancholias , &c. apud omnes practicos , ut triſtitiæ effectus reperies.

In irâ , exardeſcit animus , evehuntur ipſius vires ; uno verbo , adeſt quaſi convulſio moralis : conſequenter in phyſico adaugebitur motus tonicus , intrà vaſa vi majori agitabuntur fluida ; & tandem , ſi ira ad ultimum evehatur gradum , motus ſubſequetur ſpaſmodicus qui functiones vitales penitùs ſiſtens mortem inferat : porrò hæc omnia obſervatione comprobantur ; ex irâ , ſubſequentes hemorragias , apoplexias , quis non obſervavit ? Cicatrices ruptas refert Beckerus ; anevriſmata vidit Valleriola ex irâ ortum ducentia (*v*) ; vocis ſuppreſſiones , ſpaſmi generales non raro fuêre obſervati.

Ex illo influxu reciproco mentem inter & principium vitale quædam fluunt corollaria quæ quatenùs in decurſu diſſertationis paſſim ſupponenda ſunt, hîc loci præmittemus.

COROLL. I.

Noſtra duo principia morale & vitale , exercitium ex na-

(*u*) Naturali enìm in ſtatu minori gaudent tono. Hinc Hippocrates *cura viſceribus veluti ſpina infixa eſt atque illa pungit. Lib. II. de morbis.*

(*v*) Ill. Fouquet , in ſuis prælectionibus pro cathedrâ vacante egregiè advertit motum ſpaſmodicum anevriſmata producere.

turâ

turâ poſtulant; ut jamjàm promulgavit Ill. Barthezius in nov. doct. cap. XVI.

COROLL. II.

Uniformiter & alternatìm debet exerceri utrumque principium, quod innuit experientia litteratorum qui morali ſolummodò proſpicientes phyſicum nequaquàm excolunt: Baronius altis meditationibus immerſus, de phyſico parùm ſollicitus, eò uſque pervenit ut res omnes neceſſarias præ oblivione omitteret, nec quidquàm deguſtare digerereve valeret; imò ſi inſtantibus amicis menſæ accumbere adigeretur, ſe ad ſupplicium trahi diceret; ſimilia præbent exempla Phil. Carneade, antiquitatis ſophiſtæ, Archimede, Newton, Viete, Pascal, &c. quæ omnia evincunt morale principium ſolitariè exercitatum, ſua jura in corpus humanum adaugere in eâ progreſſione quâ phyſicum declinat & vires amittit.

COROLL. III.

Ex illâ vitiatâ harmoniâ fluunt omnes morbi litteratis familiares, ut hypochondriaſis, melancolia, &c. prædominante enim morali principio, languet magis ac magis vitale; ſuccedit lentus humorum circuitus, ipſorum vitiatur fermentatio vitalis, ex quo fonte profluunt diverſi prædicti morbi: ut autem hiſcè morbis occurreret Pitagoras, diſcipulos muſicam artem edocebat: quod conſilium ſuis diſcipulis ſuadebat ſummus Boerrhavius: alii ſimilia circiter adhibebant remedia (*x*).

(*x*) Hìnc Hippocrates de morb. vulg. L. VI. *Cibos labores præcedere debent.* Idem Celsus L. I. ch. 2. Imbecillis ſtomacho quo in numero magna pars urbanorum omneſque penè cupidi litterarum ſunt, obſervatio neceſſaria eſt, ut quod corpori, vel loci, vel ſtudii ratio detrahit, cura reſtituat...... Quæ interdiù vel domeſtica, vel civilia tenuerunt, huic tempus aliquod curationi corporis eſt adhibendum, præcipua autem ejus curatio exercitatio eſt, quæ ſemper cibum antecedere debet.

Inter morbos quibus litterati plectuntur, eminet iſte: de eodem objecto continuò meditantes, rei inveſtigatæ impreſſio quaſi infigitur animæ, ita-ut vel ſemper præſens illa cenſeatur, vel ſaltèm quædam inferatur alteratio in animæ operationibus: notum eſt SOCRATEM crediſſe ſe impelli & dirigi à quodàm genio à ſeipſo diſtincto; abyſſum antè oculos hiantem videbat PASCALIUS, jamdiù profundis rebus immerſus: quâdam voce ad veri inquiſitionem continuò advocari, CARTHESIUS ipſe credebat, veritatem tenebris obvolutam in lucem prodere ratus: ſcintillas maximè vividas tùm nocte, tùm die percipiebat TSCHIRNAUS rebus mathematicis profundè implicatus.

COROLL. IV.

Ex influxu reciproco mentem inter & principium vitale, dimanant ſummi momenti conſectaria in medicinæ praxim: in curandis pleriſque morbis illius influxûs habenda eſt ratio: nonnunquàm Medicus tali cognitione ſuffultus à viâ vulgari recedet; inſulſum eſſet v. g., tentare curationem melancholiæ ex mœrore naſcentis per medicamina in phyſicum ſolummodò agentia. Apud romanos, regnante NUMA POMPILIO, ſævit peſtis, hoſtiliter graſſatur, urbem deſerere jamjàm eſt quæſtio, clypeum aureum à Diis miſſum ut cives à peſte liberarent finxit N. POMPILIUS, de hoccè rumor vagatur, & mox ſpe refectâ diras agere tragædias deſinit crudelis ille morbus (PLUTARQUE).

In omnibus ergò morbis, in quibus ſenſibilitas maximè evecta eſt, ſummâ cum curâ removendum eſt quidquid in morali parere poteſt perturbationem; quoties enim non acceſſit mors maturior ingrato nuntio? Quoties, natura morbi curationem felici molimine meditans, non fuit perturbata ex imprudenti v. g. aſtantium colloquio? Hìnc veritas vulgaris adagii, *quand on ne craint pas, l'on ne prend pas la maladie.*

PARS SECUNDA.

De influxu educationis in hominem relativè ad ſcientias.

RECENSENS PLUTARCHUS quæ ad educationem conferunt, naturam primum locum occupare meritò cenſet, apprimè reputans inſtitutorem eſſe non ſecùs ac agricolam qui ex quâvis terrâ pravas radices decerpere ſolummodò non ſtudet, ſed plantas ubertate ſoli vigentes excolit, amputat inutiles ramos, feliciores inſerit: talia jamjàm docüerat HIPPOCRATES (y): qui poſt illos de educatione ſcripsêre, in eo totam educationis operam collocarunt; quæ verò de eâ tradidere præcepta, diſperſa, nulli principio generali adſcripta, nullâ lege economiæ animalis ſuffulta, ſunt veluti gemmæ inordinatè diſpoſitæ, quorum quælibet proprio fulgore micans nullum ſplendorem à communi conſortio mutuatur.

In primâ parte operis optimam organiſationem delineavimus; quæcumque nunc de educatione dicenda veniunt, ad illam exquiſitam organiſationem revocanda ſunt. Immenſus quidem diſquiſitionum campus, ſi ſigillatìm ſingula ordine proſequi mens eſſet, ſufficiet ergò quædam ſumma capita indicare; fortunatus nimium! ſi futuri quondam diei affulgeat levis aurora.

Quem ordinem in præcedenti parte ſecuti ſumus, ſubſequemur in iſtâ: explorabimus quid agendum ſit in excolendis

(y) *Imprimis naturâ opus eſt, quâ repugnante irrita ſunt omnia .... Natura namque noſtra agri, Doctorum præcepta ſeminum rationem habent, inſtitutio à puero tempeſtivæ ſationi reſpondet, locus verò diſciplinæ accommodatus aëri ambienti, ex quo iis quæ è terrâ naſcuntur alimentum ſuppetit, diligens ſtudium agricultura eſt.* HIPPOCRATES *lib. qui lex inſcribitur.*

1°. Senſibilitate phyſicâ & mobilitate. 2°. Senſuum organis. 3°. Animi affectibus. 4°. Intellectûs facultatibus. 5°. Quædam ſubjungemus circà reciprocum influxum mentem inter & principium vitale.

§. I.

De culturâ ſenſibilitatis phyſicæ & mobilitatis.

Non in ſcenam revocabimus exoletas illas & uſque ad faſtigium protractas declamationes inſtitutorum, contra pravum morem matrum non lactandi filios, eos faſciis obvolutos continuò retinendi & ab aëris quâcumque viciſſitudine tenellum corpus immunè præſtandi: naturæ veſtigiis inhærere ejuſque proceſſus venerari aſſuetus phyſiologus, vix illam rerum inverſionem concipiet; his igitur prætermiſſis, totus erit in evolvendis præceptis quæ fluunt ex ipsâ cognitione legum economiæ animalis.

Jàm verò cum vita conſiſtat in fluxu mutuo virium motricium & ſentientium, duplex ille vitalitatis cardo optimo vigore debet inſtrui & in certo æquilibrio foveri; quod exercitatione & quiete alternante obtinetur.

Corporis exercitationem præprimis exigit natura à teneris annis: inſtinctui igitur obſequatur puer, tenellos artus hìnc-indè verſet, ad motum progreſſivum ſollicitetur, hùc-illùc transferatur, ſaltet, currat, &c. Hoc artificio, corroboratur ipſius principium vitale, validior energia organis imprimitur; motu arteriarum periſtaltico, vividâ muſculari contractione, agitatur, ſuccutitur ipſemet textus cellularis qui veluti atmoſphæra ventorum impulſu indiget ut nitida & pura ſervetur, fluida in ipſo latitantia non ampliùs languent, & ad fines præfixos optimè diſponuntur. Graduatâ progreſſione ſectetur exercitia; imberbis juvenis equis canibuſque & aprici gramini campi indulgeat; donec tandem naturâ ad quietem vergente, labefactatiſque præ ſenio viribus, vita ſedentaria adducatur.

Quid valeant exercitia? Omnium temporum nos docent obſervata: in animum revocate publicos ludos iſthmicos, olympicos, &c.: volvatis inſtituta Lycurgi qui in firmando roborandoque corpore tantâ curâ incumbens, diverſa aſſignavit exercitia diverſis ætatum periodis, & brevì ſobolefcentem intrà muros patriæ fortem obſervavit juventutem, de quâ ſic Horatius.

> Ruſticorum maſcula militum
> Proles, ſabellis docta ligonibus
> Verſare glebas, & ſeveræ
> Matris ad arbitrium reciſos
> Portare fuſtes, ſol ubì montium
> Mutaret umbras.

Volve dicta factaque præſtantiſſimorum, tùm romæ, tùm græciæ virorum; & inconcuſſum manebit gymnaſticæ aſcribenda eſſe, valetudinem hanc firmam & ſtabilem, animum nulli rei imparem, & alias dotes quæ hodiè apud nos vix fidem obtinere valent: tantâ cum curâ excolebatur corpus, ut alia athletis, alia litteratis, alia militaribus eſſet exercitatio (z).

Quatenus ad culturam sensibilitatis physicæ, notandum vix quidquam magis noxium excogitari illâ parentum anxietate, quâ aëris externi varias viciſſitudines & aliarum rerum contactum à puero removere curant. Non eis incutiam pavorem imagine luctuosâ malorum quæ ex illo fonte dimanant, ſufficiat oculis ſubjicere relationem quàm humanum corpus habet cum ambientibus quibuſcumque objectis; quippè materialis noſtri corporis compages ſubjicitur generalibus materiæ legibus, utpotè mundi phyſici pars; itaque dùm volvitur natura in circulo quodam, dùm vices continuas experiuntur varia entia, abripimur & nos immenſo rerum vortice, cui obſiſtere homini denegatur: nihil immutare valet in legibus à Creatore ſancitis

(z) Mercurialis da arte gymnaſticâ.

juxtà quas ex impreſſione objectorum gratæ vel injucundæ ſenſationes oriuntur; ſupereſt ergò, ut ſenſum doloris aſſuetudo ad omnia obtundat.

Corporis habitum induret, roboret à teneris annis homo (*a*); quaſcumque aëris viciſſitudines pati addiſcat; ſitim laborem ferre valeat (*b*); cibis duris, digeſtu difficilibus, ſarcinet ventriculum: ALCIBIADIS & EPAMINONDÆ ad inſtar quibuſcumque circumſtantiis ſciat ſeſe accommodare: attendatis ad ALEXANDRUM, per immenſos aſiæ tractus DARIUM fugantem, aquâ per longum tempus privatum, nec tamen ab incepto deſiſtentem. Videas CÆSAREM naturâ debilem, exercitio naturæ defectus ſupplentem: quotquot in arte militari floruêre apud antiquos, totidem huic vitæ generi ſeſe obligaſſe leges. Qui litteratus avertere vult affectiones nevropathicas imminentes, alterno animi & corporis exercitio indulgeat: & ſi certis circumſtantiis valdè protracta requiratur meditatio, parcam quantitatem alimoniæ, potus cardiacos in auxilium vocet; quandiù NEWTON opticæ ſuæ incubuit, nonniſi vino Canarienſi & fruſtulo dulciario uſus eſt & quidem exiguâ doſi; vires vitales per ſtudium quaſi in cerebri regione concentratæ, æquabiliter per omnes partes diffundantur ope exercitii; tali modo omnium partium concentus & utriuſque principii harmonia ſervabuntur.

§. II.

De culturâ organorum ſenſuum.

In infantiâ, dùm corporis evolutioni & incremento tota proſpicit naturâ, dùm in illo ſtatu torpent mentis facul-

(*a*) *L'Accoutumance à porter le travail, eſt accoutumance à porter la douleur.* Eſſ de MONTAGNE.

(*b*) E memoriâ nunquam excidet dura illa educatio Henrici IV.: teneros egit annos in domo undiquè obſitâ montibus & rupibus: ibi agreſtium more, rudes veſtes, cibos duros, nanciſcebatur; edocebatur

tates, quid aliud præſtare poteſt inſtitutor, quàm ſenſuum organa dirigere, informare & ea reddere paria omnibus corporum relationibus obtinendis?

Itaque ordiendo à tactu, ut potè omnium maximè extenſo, vix concipitur quàm rudis maneat ob exercitii defectum: alii ſenſus iſtius operationem antè vertunt, & impellunt ad judicia quæ penes ipſum tactum ſunt: Satius ducit homo, corporum relationes explorare ope visûs qui cëu fulgur è nube vibratum ambientia objecta comperit. Aſt verò, quam multæ, quam ſolidæ, mentem noſtram effugiunt cognitiones, quæ nonniſi exculto ſummâ cum curâ tactu obtineri poſſunt! Quam magnum exindè ſubſidium repetere praxim, quis negabit! Principii vitalis profundæ affectiones, plerumque dignoſci nequeunt niſi ſignis quibuſdam fugacibus, vel valdè latentibus; in illarum diagnoſim facilè veniet Medicus, qui quaſcumque fiunt mutationes in ſuperficie corporis ritè diſtinguet, qui innumeras modificationes, caloris vitalis, ſiccitatis, humiditatis & pulſationis arteriarum, obſervare poterit.

Non minori cum curâ excolendus eſt viſus; corporis enim ſecuritati præ aliis proſpicit: & conſequenter multiplici illuſione nos luderet circà objectorum proprietates, niſi ritè excoleretur ab incunabulis. Notum eſt quam apprimè percipiant varias corporum relationes, Archytectæ, Pictores, &c. quantâque celeritate uno oculi ictu judicent de diſtantiâ, proportionibus objectorum. Aſſiduè ergò exerceat hunc ſenſum adoleſcens, non leviter credat quæcumque ipſius ope comperiuntur, notas habeat varias rationes quibus ab illo illudi poteſt; omnia, mediante tactu, emendare addiſcat.

---

velociter currere, præruptas ſcandere rupes; ſolitus erat pedibus nudis, capite detecto ſe quibuſcumque impreſſionibus objicere; & ut VIRGILII verbis utar, *quem ſeſe ore ferens? Quam forti pectore & armis?* Meritò animadvertit, Ill. MARET, omnes penè militares qui apud nos floruêre rure fuiſſe educatos. *Inf. des mœurs des François ſur leur ſanté.*

Auditûs organum peculiarem pariter ſibi vindicat curam; juvenem artem muſicam edoceas; in hâc ætate tenerâ, vitetur omnis cantus diſſonans aut ad exſuſcitanda animi pathemata accommodatus, iſte nempè expoſtulat ſenſibilitatis moralis & organorum evolutionem quæ non fit niſi ætate maturiori.

Graduatâ illâ organorum culturâ, novus ſucceſſivè oritur & creſcit rerum ordo, inſcio, ut ità dicam, puero; relationes rerum organis deprehenſas ſagaciter verſabit, qualiacumque offerantur objecta de hiſce rectè judicabit; ſenſibus nunquàm deluſus, fideles animæ tranſmittentur impreſſiones & iſta opportunè ſemper commovebitur.

Senſibus interdùm offerantur objecta inexpectata, quæ vividâ & ſubitaneâ ſui impreſſione mentem excitent, percellant.

Demosthenes adhùc juvenis oratorem Callistratum in populi cœtu tonantem, facundiâque cunctorum animos rapientem videt; exindè fervet animus, acri ſtudio dat operam, poſteàque dignus evadit qui primus omnium orator nuncupetur. Videt Rubens venetiis degens exquiſitæ pulchritudinis opera, ab eximiis Pictoribus Le Titien; Jules Romain, depicta; obſtupet mente, ut ità dicam, captus; Galliam repetit, & in picturâ miraculâ promit. Caſu fortuito, ut norunt omnes, ad magna accenditur Raphael.

Qui artibus liberalibus clareſcere meditatur, mentem interdùm attollat; artium prodigia avidis ſcrutetur oculis, ſummorum virorum facta monumentaque in eorum honorem erecta perluſtret: variis his ſpectaculis allectum cor vividè ſaliet, animaque ipſa nihil niſi ſublimè affectabit.

Qui rebus naturalibus ſtudet, naturam ſub quocumque aſpectu obſervet; nihil infrà ſe reputet: nonnè Galileus in horto etruriæ Ducis conſpiciens aquam in anthlias aſcendentem, fortuitò olitoris quæſito, ad indaganda aëris atmoſphærici phœnomena incitatur? Nonnè fructûs maturi lapſus, ſummum Newtonum ad inveſtiganda ſiderum phœnomena propriiſque legibus adſcribenda, impulit?

§. III.

§. III.

De culturâ affectuum animi.

Fervente juventâ ubì exſuſcitatur ſenſibilitas moralis, ubì patent variæ relationes quibus homo connectitur cum totâ naturâ, noviſque impreſſionibus agitatur; tunc informetur cereus ille animus ad honeſti & boni ſtudium, veræ & ſolidæ felicitatis arcana illi reſerantur.

In hunc verò ſcopum non maximè faciunt præcepta, nec acervæ inſectationes: non quod decet, quod expedit, eſt oculis exhibendum; ſed ſtimulanda eſt innata activitas ad bonum, novum robur animo eſt ingenerandum; vivida igitur exempla tempeſtivè oblata, quantò-magis proderunt, millenis indies & uſque ad ſatietatem repetitis ſermonibus.

Marcus-Aurelius dogmatica virtutis præcepta nunquàm audivit, ſed exemplis fuit inſtitutus; ærumnis miſerorum coràm ipſo occurrebant gnari inſtitutores; amicum in anguſtiis delapſum coràm illo reſtituebat unus ex illis; pectus cicatricibus fœdatum illi offerebat bellator; hìnc, quid ſibi, quid patriæ, quid aliis, ipſe debebat, menti profundè infigebatur.

Hìnc patet, quomodò ad bonam frugem ſit revocandus adoleſcens, qui in voluptatibus prono capite ſeſe immergit; illius oculis exhibeantur ſpectacula quæ vitii fœdam imaginem præ ſe ferant: ilotas temulentos adoleſcentium aſpectui ſubjiciebant Spartiatæ, ut ſordida ebrietas odio haberetur; cujuſdam filius (*c*) veneris æſtu fervens in omnem libidinem ſeſe projiciebat, meretricum conſortio jamjàm contaminandus, patris propoſitum ignorans ingreditur cum illo noſocomium ubì libidinis pœnas pendebant lue venereâ infecti, tali ſpectaculo perterritus tonantem audit patrem; *en*

(*c*) Rousseau, *dans ſon Emile.*

quæ ſors te manet, *ſceleſte* ! Voto patris reſpondit eventus, ſolo enim ſcorti nomine horreſcebat adoleſcens.

Sic teneros animos aliena opprobria ſæpè
Abſterrent vitiis. HOR.

Non ſecùs ac in corpore vigente omnes functiones organorum harmonicè concurrunt ad ſanam valetudinem præſtandam, & perturbatâ illâ harmoniâ exurgit morbus; ità ſuas patitur animus ſanitatis & morbi viciſſitudines: animi verò ſanitatem ſtare patet quandò intrà debitos limites coërcito quocumque animali appetitu, homo nitidè percipit quid debeat ſummo Numini, quid ſibi, quid aliis: & componit vitæ rationem ad illas inconcuſſas veri & honeſti normas; hæc verò virtus non poteſt competere niſi ætati maturæ quandò ſcilicet altæ meditationis fit par intellectus: ſummus in PERICLE animus non fuit evolutus, niſi poſtquàm ANAXAGORÆ præceptis imbutus, ex ſe-ipſo perſcrutari potuit effectus naturales & eorum ordinem proſequi: ſimilia nobis præbent exempla M. TORQUATUS, SCIPIO-AFRICANUS, THEMISTOCLES, CIMON, &c. Tenebroſa fuit illorum juventus, ut majori ſplendore dein ſeſe oſtenderent.

§. IV.

De culturâ facultatum intellectûs

Memoria, ratio propriè dicta & imaginatio, ſunt juxtà Ill. DALEMBERT (*d*) varii reſpectus ſub quibus conſiderari poteſt intellectus; conſideratio illa ordinem dicendorum ſuppeditat; & ne dicendorum copiâ obruamur, ſumma rerum capita tantùm indicabimus.

1°. Viget vulgare adagium, ſemper aliquid indies memo-

(*d*) Diſcours préliminaire de l'Encyclopédie.

riæ mandandum, verba & voces auctorum eſſe addiſcenda ne exercitii defectu labefactetur illa facultas; aſt laborem illum reſpuit vir præſtans, aliam viam, aliam methodum ſectatur; excerptas hinc indè ideas ſui juris facit, & ex illis novam & propriam colligit idearum ſegetem: hoc modo, non oneratur memoria, ſed promovetur intellectus; non externâ ſarcinâ gravatur, ſed novo decore ſeſe attollit. » *Il faut* » *s'enquerir*, dit MONTAGNE (*e*), *qui eſt mieux ſavant*, » *non qui eſt plus ſavant. Nous ne travaillons qu'à remplir la* » *mémoire, & laiſſons l'entendement & la conſcience vuides.* » *Tout ainſi que les oiſeaux vont quelquefois à la quête du* » *grain, & le portent au bec, ſans le tâter, pour en faire béchée* » *à leurs petits: ainſi nos Pédants vont pillotant la ſcience* » *dans les livres, & ne la logent qu'au bout de leurs lévres,* » *pour la dégorger ſeulement, & mettre au vent..... Il ne* » *faut pas attacher le ſavoir à l'ame; il l'y faut incorporer;* » *il ne faut pas l'en arroſer; il l'en faut teindre* «.

Medicina, inquiunt quidam, ut potè obſervatis innixa, non-niſi ſtudio immenſo & factis innumeris in capite conjeſtis obtineri poteſt: ubinàm verò occurrunt obſervata ità graphicè quoad omnes partes delineata, ità per ordinem digeſta, ut inductiones inconcuſſæ conſectariaque neceſſaria erui poſſint? Summum rei caput in hoc poni videtur, ut infixæ menti hæreant primariæ economiæ animalis leges, conſuetæ & poſſibiles aberrationes: volve igitur animo eos auctores in quibus omnia ſpirant optimi obſervatoris ingenium, ad eorum normam te compone, fœcunda per reflexionem ipſorum ideas; optima, ſolida, ſit tibi baſis; & pauci tibi ſufficient auctores.

Non tamen damnanda eruditorum turma; illi enim ſi non multùm debeant ſcientiæ, plurimùm ſcientiarum cultores: qui enim hodiè factum phyſiologicum obſervatis innitere cupit, copioſam HALLERI ſegetem viſitet, indèque emerget

(*e*) Eſſais de MONTAGNE, in art. *du Pedentiſme.*

factorum numerus requiſitus ad aſtruendam propoſitionis veritatem. Aſt dolendum eſt ſummos viros promovendis ſcientiis natos, *in medio defixa relinquere aratra* præ eruditionis ſarcina, & ſonos articulatos tantùm effutire valere (*f*).

2°. Jàm quæritur, quid ſit ratio! Non datur definitio: eâ ne præditus es! volve ſcripta philophica PLUTHARCHI, TACITI, MONTAGNE, &c. Et quid ſit ratio, ſcies. Illa ferventis imaginationis tumultuantiſque animi impetum moderatur, in artibus liberalibus ingenii ſublimia meditantis curſum illuſtrat, dirigit: in poëſi, in arte oratoriâ nervum corpuſque dicendorum efformat: ratio ſola, veros efficit obſervatores; illa ex phœnomenis obſervatis vera eruere poteſt conſectaria, illa ſola denique ad magna tendentis animi volatum dirigit; à vero ne deviet imaginatio, in omni arte, omni ſcientiâ facem præfert: MAGNUM ALEXANDRUM dirigebat ratio in omnibus victoriis ad honeſtum finem convertendis (*g*).

Ratio autem non præceptis, ſed exercitio excolatur, protractæ & forti contentioni gradatim aſſuefiat mens, non niſi ideis vividis & nitidè affulgentibus aſſenſum præbeat, obſcuras ſubmittat analyſi, foveatur ſemper quidam ſcrupulus: ad hunc autem ſcopum obtinendum, laudandum venit præprimis matheſeos ſtudium; illud ingenii ſagacitatem acuit, ratiocinandi vim fovet ſimulqne corroborat: indè iſtis temporibus majus acceſſit decus illi ſcientiæ; ſed haud ſcio an tantoperè celebrata ipſius utilitas, noſtro ævo ſit eadem ac fuit ſeculis elapſis; in dies nova eduntur opera faciliorem aditumreddentia; nonnè

(*f*) Quid de eruditorum gente ſentiendum ſit, conſule MONTAGNE' art. *Pedantiſme.* DALAMBERT, *Diſcour préliminaire de l'Encyclopédie.* BUFFON, *Diſcours préliminaire de l'Hiſtoire naturelle.*

(*g*) ALEXANDRE, dans la rapidité de ſes actions, dans le feu de ſes paſſions même; avoit, ſi j'oſe me ſervir de ce terme, une ſaillie de raiſon qui le conduiſoit; & que ceux qui ont voulu faire un Roman de ſon Hiſtoire, & qui avoient l'eſprit plus gâté que lui, n'ont pû nous dérober. MONTESQUIEU, *Eſp. des Loix, T. I.*

præ defectu exercitii , languet, marceſcit ingenium? Quidni ergò illi objicerentur ardua quæque ? Quidni , inſalutatâ ſcriptorum vili turmâ , ad patres aſſurgere conaremur ut EUCLIDEM , CARTHESIUM , NEWTONUM , EULERUM , DALEMBERT , &c. Non multigenæ coacervandæ ſunt notiones, ipſa mens ingenio mathematico eſt imbuenda. Id dictum volo non-ſolùm pro iis qui in rebus mathematicis nomen adipiſci volunt, ſed etiàm pro iis qui matheſim ſecundariè excolunt , ut altæ meditationis habitudinem contrahant (*h*).

3°. Hic nomine imaginationis intelligenda venit ingenii functio quæ creat in liberalibus artibus , & ipſarum fœtus quaſi ſpirantes reddit: ſi ratio illam intrà debitos limites non coërceret, ſed vagantem ſibi permitteret, omnia ordinare & totum cohærens edere nequaquàm valens in vitium incideret quod carpit HORATIUS initio poëtices; *humano capiti cervicem pictor equinam jungere ſi velit* , *&c.*

Relativè ad imaginationem, ſi indulgere luberet deſcriptionibus oratoriis , haud difficilè eſſet hùc varias congerere voces ad promendam abditam hanc mentis operationem ; & eam nuncupare, more Rethorum (*Enthouſiaſme*) afflatum divinum , delirium ſuave , &c. deindèque numeroſis periodis harum vocum evolvere ſenſum; ſed hoſce verborum circuitus omittimus , qui nullam ideam offerunt illi qui caret imaginatione , & futiles nænias præbent menti illius qui hæc ſenſu intimo , novit , experitur.

Sed quodnam eſt Phyſiologi munus , relativè ad intellectûs culturam ? Quænam partes illi incumbunt? Res in propatulo eſt : inquirendi ſunt varii conſenſus cæterarum functionum cum imaginatione ; inveſtigandæ ſunt leges inter certum corporis habitum & certam ingenii indolem : porrò

(*h*) HIPPOCRATES , in epiſtolâ ad theſſalum filium. *Geometriæ & arithmeticès cognitioni ſtudium adhibeto mi fili , neque enim ſolum vitam tuam glorioſam & ad multa in rebus humanis utilem , verum etiàm mentem acutiorem & longè ſplendidiorem ad fructum omnium quæ in arte medicâ uſui ſunt, conſequendum reddet.*

maxima viget analogia qualitates inter principii vitalis & intellectualis; magna ſenſibilitas phyſica, ſummam in morali denotat ſenſibilitatem; ſtupor in principii vitalis viribus ſentientibus, languorem in moralibus functionibus prænuntiat, &c. Informet ergò Phyſiologus principium vitale, ad gradum præoptatum ipſius conducat vires & immutationes in morali pro voto ſubſequentur.

Habito ſemper reſpectu ad influxum animam inter & principium vitale, aliæ deſumendæ ſunt regulæ: vir ingenio forti præditus, quamquam conſonis ſtudiis illud promovere debeat, timere ſemper debet ne in ſtylum durum aut tumidum delabatur; temperabit ergò ingenitum illud robur, parcè exercitiis corporis indulgendo, cibis parùm excitantibus, facetorum hominum colloquio, mulierum familiaribus ſermonibus, auctoribus dictionis venuſtate commendandis: hìnc aureus noſter ævus abſtruſa mathеſeos theoremata concinnitati & maſculæ eloquentiæ videt conſociata (Dalembert).

Vir ſectans elegantiam & facundiam cavere debet dicendi genus nervis carens; ſtimulanda eſt activitas; accendendum eſt ingenium epotis ſpirituoſis, auctorum evolutione in quibus omnia ſapiunt virilem libertatem, exſuſcitatione lenium cordis affectuum.

Qui autem aſſequi vult, *le naïf*, *le ſimple*, ſeù dicendi genus in quo adſit naturalis & non fucatus nitor, quale eſt apud Lafontaine: naturæ, inſtinctui permittat mentem, non ſectetur duram victûs rationem, naturam in minutiſſimis attentè ſcrutetur, muſæi ſolitudinem ſæpè deſerat, potiatur mundi ſpectaculo.

Uno verbo, Phyſiologus ſagax, innumeras litterato pandere poteſt normas, circà loca quæ incolere debet, regiminis & victûs rationem, corporis exercitia, libros volvendos, objecta ſenſibus offerenda, affectus animi quibus fovendis poteſt incumbere, &c.

Summa ingenia non omni tempore muſarum præſentiam experiuntur; modò languet animus; modò quaſi divino

impulſu actus exſuſcitatur & totam naturam complecti valet: naturales has vices, ſequi preſſo pede, non ſe accingere ad laborem invitâ minervâ, placidè expectare dùm è ſomno mens redeat, debet litteratus; non neglectis quandòque ſubſidiis quæ mentem exſuſcitare valent.

§. V.

De excolendo influxu reciproco inter principium vitale & intellectuale.

Conſideratæ ſunt per abſtractionem variæ rationes quibus proſpiciendum eſt culturæ facultatum utriuſque principii, ſed notum eſt quam arcto vinculo conſocientur ſuaſque affectiones ſibi communicent: undè ut in educatione obtineatur ſcopus propoſitus & morale perphyſicum & phyſicum per morale debent excoli: magnanimitas, candor, firmitas, conſtantia, &c. Corporis exercitati ſeſe præbent comites, ut patet ex omnibus antiquitatis viris clariſſimis; & viciſſim animi robur, ſpes, fiducia poſſunt ſuſtinere vires labentes.

Hìnc ſi principium morale vitali præpolleat; exercitiis moderatis, variis familiaribus colloquiis, &c. Hoc ſimplici modo in æquilibrium redibunt phyſicæ & morales functiones.

Foveatur quædam paſſio, & nulli rei te eſſe imparem videbis: quid non præſtabit amor patriæ, v. g.? Quid non aſſequetur? Romanorum, Athenienſium, Spartiatarum pulcherrima facta & dicta (*i*) ſuggeſſit amor patriæ: ille, romam orbis æmulam per plura reddidit ſæculâ: vis igitur claritudinem aſſequi? Nativam inertiam commove, fove flagrantem & ſublimem animi affectum, & patebit quid præſtare valeas.

(*i*) *Œuvres de* PLUTARQUE, *dits & faits notables de Lacédemoniens.* Et paſſim in omnibus cel. vir. vitis.

Quoad vires ſentientes & motrices, notum eſt eas eſſe in quâdam ratione reciprocâ : eas in ſtatu æquilibrii fovere debet phyſiologus ; ſi prædominetur ſenſibilitas, ad gradum requiſitum corporis exercitiis eſt revocanda : ſi è contrà langueat & obtuſior evadat, tùnc victu leviori, exercitio minùs protracto ad medium optatum reducatur, &c.

Sic variæ facultates in homine quaſi quâdam oſcillatione ſibi mutuo contranituntur, verſantur in circulo quodam energiæ reciprocæ ; quæ quidem omnia ponderare debet phyſiologus, ut inconcuſſas exindè eruat normas & omnia dirigantur ad ſocietatis harmoniam.

PARS TERTIA.

De influxu climatis in Hominem relativè ad ſcientias.

NON ſolùm notanda venit latitudo loci, ut denotat climatis vox, ſed aliæ animadverſiones ſunt in medium adducendæ : longè enim variæ ſunt tempeſtates in plagis aſiaticis & europæis, etſi in utrâque idem ſit intervallum à polo boreali : in tartariâ chinenſi quæ ferè eſt in eodem latitudinis gradu ac gallia, viget per longum tempus frigus acre & forsàn æquiparandum illi quod ſævit in iſlandiâ ; illud verò dependet ex eo quod europa defendatur montibus norvegiæ & laponiæ, & non ſit æquale munimentum pro aſiaticis plagis & aliis.

Non omittenda ſunt pariter animadverſa quæ ſuppeditant, ſitus, poſitio loci, &c. quippè notat HIPPOCRATES (*l*) quantùm ſub hoc reſpectu differant homines : » Etenim » qui regionem montanam, aſperam & aquis carentem in-

(*l*) HIPPOC. *de aëre, aquis & locis.*

colunt

» colunt & anni tempeſtates habent valdè differentes , di-
» verſi eſſe debent ab iis qui habitant loca concava , her-
» boſa , æſtuoſa , quique ventis calidis magis quàm frigi-
» dis perflantur : hi pariter debent adhùc diſcriminari ab
» iis qui regionem altam , planam , ventis perflatam &
» aquoſam incolunt : alia pariter eſt ratio eorum qui gra-
» cilia & arida loca , aquis carentia & nuda tenent , neque
» temperatas habent anni temporum mutationes ; alia adhùc
» eorum qui terram habent pinguem, mollem & aquoſam. . .
» Magnâ enim ex parte hominum formas & mores regionis
» naturam imitari reperies ».

A diverſâ victûs ratione , in eâdem regione variare poſſunt homines : notum eſt romanos olìm , ſub eodem cœlo degentes , ac imbelles noſtri coœtanei , incredibili vigore fuiſſe præditos : notum eſt turcas , à græcis intrà eoſdem muros detentis , prorsùs differre ; quæ varietates à climate nequaquàm repetendæ , diverſæ victûs rationi referendæ veniunt (*m*).

Sed quidquid ſit de illis caſibus particuliaribus ; quemadmodum variant plantæ relativè ad climata (*n*) , ità & homines modificari reperies ; gradu enim ſenſibilitatis , non ſecùs ac latitudinis , diſtingui homines jamjàm promulgavit Montesquieu ; quem antè Hippocrates *hominum formas & mores maximâ ex parte regionis naturam imitari* nos docuerat (*o*).

Non immorabor in ſingulis varietatibus quæ à climate

(*m*) Tournefort , voyage du Levant, Lettre 14.

(*n*) Neque terræ ferre omnes omnia poſſunt :
Fluminibus ſalices , craſſiſque paludibus alni
Naſcuntur ; ſteriles ſaxoſis montibus orni :
Littora myrthetis lætiſſima , deniquè apertos
Bacchus amat colles , aquilonem & frigora taxi.
Virg. *Georg. II.*

(*o*) Hippoc. de aëre, aquis & locis.

profluunt ; generalia tantùm proponam quæ ad elucidandam quæſtionem conferre poſſunt. Cæterum quandò aſſeritur certam ingenii indolem competere determinato climati , alia prorsùs ingenii genera non excludimus quæ nativæ conſtitutionis aut aliarum circumſtantiarum ſunt effectus ; id unicum contendimus , quod , abſtractis omnibus quæ climatis influxum infringere valent , certæ cujuſdam indolis viri , in tali plagâ , tali loci ſitu , germinare debeant.

§. I.

De influxu climatis in ſenſum & motum.

1°. Quæcumque hucuſque obſervata fuêre nos adducunt ad credendum ſenſibilitatis aciem rationem ſequi debilitatis corporis in homine ſano : confer pueros cum adultis , convaleſcentem cum ſano , fœmineum ſexum cum maſculo , populos auſtrales cum borealibus , & noſtrum aſſertum verum eſſe videbis , quod non evertent quædam exceptiones (*p*).

Populorum auſtralium exquiſitus ſenſus , ſummam debilitatem comitem ſibi adjungit ; illa debilitas producitur ab aëris temperie quæ quietis amorem inducit ; exercitii enim defectu , alimentorum tenuium ingeſtione , tonica vis labefactatur , languet muſcularis & evehitur ſenſibilitas.

Illa autem ſenſibilitatis vividitas , ab influxu corporum cœleſtium in principium ſentiens maximè videtur pendere : quippè ſi advertatur , in zonâ torridâ maximam fieri aquarum elevationem ; ſi perpendantur frequentes procellæ , tonitruum ingens fragor & terræ motiones quæ ibi non raro debacchantur , quæque fluidi electrici evolutionem maximam demonſtrant ; ſi attendatur ad vegetantium hujuſce

---

(*p*) Senſûs vividitas ſequitur rationem inverſam diſtantiæ ab æquatore, motûs verò energia , directam : undè vera ſunt quæ promulgavit Ill. Barthez in princ. vit. quod ſenſus non ſit ſemper in ratione motûs.

plagæ naturam quæ ſunt graveolentia, balzamis redundantia, ſpirituque rectore, ut ità dicam, exaltato donata; ſi ſagax inſtinctus ferarum hujus cœli incolarum in medium adducantur: judicare pronum erit corpora cœleſtia his terræ plagis correſpondentia, in ipſa viventia maximè agere, eorum dotes evehere, acuere; quomodò ergò ſolus homo ſubtraheretur illi actioni? Quomodò illud fluidum electricum quo ipſemet imprægnatur, non novas acquireret vires ſub hoc cœlo torrido? Novam vim addit attentio ad motum annuum ſolis & lunæ, ultrà tropicos nunquàm progredientium; hìnc enim incolæ zonarum inter illos comprehenſarum ſolem quaſi perpendicularem ſemper habent (*q*).

Senſibilitas autem illa vivida patet in populis auſtralibus ſignis minimè æquivocis; nempè æſtu venereo flagrante (*r*), doloris intolerantiâ, adoleſcentiâ præcoci, convulſionibus quæ quandòque vel ex lævi vulnere oriuntur, ſicut & delirio quæ ex minimâ febre ortum ducit: convulſiones epidemicè graſſari in Americâ memorat ZIMMERMANN.

Ex his autem perſpicuum eſt quod ex adverſo contingere debet in habitu populorum borealium: corporis robur ibì promovetur, validis exercitiis quæ requirit cura victûs in terrâ aſperâ & ingratâ, alimentis digeſtu difficillimis tonicas vires firmantibus: quantò autem majus eſt robur, tantò minor debet eſſe ſenſus, ex ſuprà notatis; aliundè illud per obſervata compertum habetur, *il faut écorcher un Moſcovite pour lui donner du ſentiment*, dixit MONTESQUIEU; ubique doctrinam hippocraticam huic conſonam reperies.

Igitur in regione calidâ obſervatur illa ſenſibilitatis ſpecies, quæ utpotè maximè vivida ad nutum cauſæ externæ agentis excitatur, ſed brevi evaneſcit impreſſio; versùs polos reperitur illa ſenſibilitas obtuſa quæ nonniſi validâ

(*q*) Cæterùm vide quid cenſeat HIPPOC *de ſiderum influxu: in Lib. de aëre, aq. & loc.* & *in Lib. de flatibus*

(*r*) *Il y a de tels climats où le Phyſique a une telle force, que la Morale ne peut preſque rien.* MONTESQUIEU, Eſprit des Loix. T. 2.

corporum impreſſione commovetur ; plagæ attemperatæ medium inter recenſitas obtinent, hinc apud ipſarum incolas media vigere debet ſenſibilitas, ſcilicèt nec nimis vivida, nec nimis obtuſa, quæque præprimis exoptanda : felices ergò ! felices populi ! qui in eo terræ terræ tractu à Creatore poſiti ſunt.

II°. In populis borealibus, organum muſculare viribus redundans & naturalem proterviam accerſens, debet homines impellere ad motus validos, bellum, venationem, longa itinera, &c. quod teſtantur horumce populorum annales : notæ ſunt ipſorum invaſiones & vaſtitates quas intulerunt in meridionalibus europæ plagis ; nota ſunt ex Tacito bella quaſi perpetua quæ gerebant antiqui Germani : » nec arare terram, aut expectare fructum, aït ille » Auctor (*s*), tàm facilè perſuaſeris quàm vocare hoſtes & » vulnera mereri ; pigrum quinimò & iners videtur ſudore » acquirere, quod poſſis ſanguine parare. « In ipsâ pace ad conſilia publica procedebant armati.

Apud populos meridionales, illa virtus, illud robur, decreſcent quâ proportione ad equatorem pergemus. Calor enim, quietis amorem inducit, & conſequenter enervationem & debilitatem : Indii otium ſectantur tanquàm ſummum bonum, ſupremum Numen immobile nuncupant (*t*) ; idem de Siamenſibus referunt viatores. In calidis regionibus ſi occurrant populi, bellicæ artis claritudine olìm inſignes, hujuſce effectus in propatulo ſunt cauſæ morales vim climatis infringentes : mente volve Arabum egregia facta ſub Mahumete ipſiuſque Califis ſucceſſoribus, & occurret effrenatus fanatiſmus impellens populum rudem & incultum, eumque à quiete deturbans ; ceſſante hoc ſtimulo, in priſtinum ſtatum relapſi ſunt populi. In Græciæ & Italiæ plagis extitere quidem famigerati in re bellicâ populi ; ſed attendendum

(*s*) Tacitus, de moribus Germanorum.
(*t*) Montesquieu *Eſprit des Loix*, *T.* 2.

ad eximium reipublicæ regimen quod vigebat, quodque nationalem torporem exſuſcitare vitamque laboribus addictam fovere valebat : aliundè notum eſt, quam vivida imaginandi vis contingat illis populis, & quantùm evehi poſſit per flagrantem amorem patriæ & libertatis.

Sub cœlo nec minùs ad auſtrum, nec nimis ad boream vergente, abeſt illa admotum effrena propenſio, abeſt & illa ad quietem damnanda proclivitas ; mens non cædes, non ſanguinem ſpirat ; ſed ad utilia peragenda hominem propellit : ibi florebunt artes mechanicæ, induſtria humana (*u*) : ibì obſervabitur vigens commercium, quod ſimùl exigit mentem ſagacem ad ineunda conſilia, & corpus mobile ad illa aſſequenda ; ibì peragentur omnia quæ expoſtulant audaciam ad tentandum, prudentiam ad ponderanda media, & robur, tùm animi, tùm corporis ad deducenda conſilia ad felicem exitum.

In influxu climatis in ſenſum & motum ſunt peculiares animadverſiones deducendæ ex loci ſitu & poſitione, quod quidem egregiè notat Medicinæ Princeps *in Lib. de aëre, aq. & loc.* » Qui enim regionem montanam, aſperam, altam » & aquis carentem incolunt & anni tempeſtates habent » valdè differentes, illìc hominum formas magnas eſſe par » eſt, & tùm ad laborem, tùm ad robur à naturâ eſſe » comparatos ; at qui loca concava, herboſa, æſtuoſa » quæque ventis calidis magis quàm frigidis perflantur, &

(*u*) » Trop loin ou trop près de l'équateur, l'homme eſt inhabile a différents travaux qui ſemblent propres à une température douce. Pierre le Grand alla chercher vainement dans les Etats les mieux policés de l'Europe, tous les arts qui pouvoient humaniſer ſa nation : depuis 50 ans aucun de ces germes de vie n'a pu prendre racine au milieu des glaces de la Ruſſie. Tous les Artiſtes y ſont étrangers & meurent bientôt avec leur travail & leur talent, s'ils veulent y ſéjourner. Envain les Proteſtants que Louis XIV. perſécuta dans ſa vieilleſſe, apporterent les arts & les métiers chez tous les Peuples qui les accueilloient ; ils ne purent y faire les mêmes ouvrages qu'en France. L'art. dépérit dans leurs mains, parce qu'il n'étoit plus échauffé des mêmes rayons du ſoleil. *Hiſt. Philoſ. & Polit. T. dernier.*

„ aquis utuntur calidis, hi magni quidem eſſe poſſunt; „ in amplam corporis molem à naturâ producuntur, corpore ſunt carnoſo, & minùs pituitoſi quàm bilioſi. Qui „ verò regionem altam, planam, ventis perflatam & aquoſam incolunt, ii corporis habitu ſunt prægrandi, inter „ ſe ſimiles & erecti & animo tranquilliore. At qui gracilia & arida loca aquis carentia & nuda tenent neque temperatas habent anni temporum mutationes, hâc in regione „ duro & robuſto corporis habitu eſſe par eſt ... Magnâ „ enim ex parte hominum formas & mores regionis naturam imitari reperies. “

§. II.

De influxu climatis in animi affectus.

Etiamſi non nobis innoteſcerent mores propriaque indoles populorum ſeptentrionalium, jàm præſumi poſſent ex iis quæ de corporis habitu ſuperiùs dicta fuêre; notum eſt enìm quam potenter phyſicum influat in morale; ſed horum populorum hiſtoria rem elucidatam relinquit.

Superbia naturalis, indomitus belli cædiumque æſtus, audacia, ſemper hos effecêre formidandos. Vi apertâ non per fraudem in hoſtes ire, mos inviolandus; inſidiarum ratio ad debiles populos eſt amandata; vigentis roboris ſenſus intimus parit ſecuritatem, quam nulla frangent pericula: Certus laudis amor ibì erit ſummum mobile; indè, ſervitutis, pœnarum intolerantia: Tacitus notat de antiquis Germanis, „ neque animadvertere, „ neque vincire, neque verberare quidem niſi ſacer„ dotibus permiſſum, non quaſi in pœnam, nec ducis „ juſſu, ſed quaſi Deo imperante “ Ille laudis amor, ſtudium in principes, principum in ſubjectos, uno verbo, in omnes qui utiles ſunt, pariet. „ Cum ventum in aciem „ aït idem Tacitus, turpe, principis virtute vinci, turpe „ comitatui virtutem principis non adæquare: jàm verò „ infame in omnem vitam ac probroſum ſuperſtitem prin-

„ cipi ſuo ex acie receſſiſſe : illum defendere , tueri , ſuaque fortia facta gloriæ ejus aſſignare , præcipuum ſacramentum. “

Propiùs accede ad plagas auſtrales , & præcepta moralia minùs obſervari deprehendes : vitiorum omnium ſcatu-rigo ſunt animi pathemata vivida : quiſque propriis commodis & voluptatibus conſulens cuncta ad ſe detorquet : indè cupiditatum conflictus , vindictæ , proditiones , invidiæ , odia , &c. : exquiſita auſtralium ſenſibilitas ad amorem illos fortiter impellit : ille amor omnium optatorum eſt finis : & hìnc affectuum caterva primarium illum affectum ſubſequens.

Si ad auſtrum magis vergas , ità fervidus poteſt eſſe calor , ut corpus langueat & ferè prorsùs enervetur : dejectio animum invadet ; hìnc nullum cæptum arduum , nulla curioſitas , nullus ſenſus ; ſummum bonum conſtituet ipſa quies ; pœnæ corpori inflictæ tolerabiliores evadent quam animæ actio ; ipſaque ſervitus grata videbitur : puſillànimes ſunt Indii ; quinimò Europeorum filii in Indiâ oriundi hanc inertiam contrahunt : hæc animi dejectio ad ſcientias quaſcumque illos reddit impares. Qui nimio frigori ſubjecti ſub urſâ degunt , ii regulæ generali exceptionem pariter faciunt ; Scytas enìm antiquos hanc regionem incolentes , imbelles & flaccidos nobis præbet Hippocrates (*v*).

Jàm verò ex hiſce prælibatis , deducere pronum eſt quinam contingere debeant Scriptores in variis regionibus. Deſcriptiones , voluptatis illecebrarum , fictæ imaginis , amoris voti compotis , &c. elucebunt in Scriptoribus qui regiones calidas incolunt : Mahumetis fictitium paradiſum, adumbratio amorum Didonis à Virgilio , delineatio illius inſulæ incantatæ & voluptatum ſalacium quibus ſe prono capite Luſitanos immerſiſſe fingit Camouens in ſuo poëmate

---

(*v*) De aëre, aquis & locis.

(*la Luſiade*) ; deſcriptio palatii *Darmide*, in poëmate DU TASSE (*Jéruſalem délivrée*) ; varia denique opera edita à PETRARQUE, L'ARIOSTE, TRISSIN, &c. in quibus paſſim ingenium indulget laſcivis ſermonibus, imaginibus effeminatis ; nonnè palam faciunt peculiarem climatis influxum?

Teneræ mentis affectiones, vivida animi pathemata de ſua vi amittere videntur ad polum accedendo : in Galliâ, („ le ſentiment dans les grands hommes ſe trouve fondu „ avec une raiſon épurée & une imagination hardie & „ ſage.) « In plagis magis borealibus, nullus eſt, ut ità dicam ſenſus ; hìnc vix muſicâ commoveri valent : apud Anglos & apud Italos quam varios effectus producant, eadem muſica & muſici, vix concipitur, aït MONTESQUIEU.

Cæterùm quoad animi affectus, non omittendæ ſunt poſitiones locorum, de quibus egimus poſt HIPPOCRATEM ; proùt enim homines incolunt loca montana, concava, æſtuoſa, arida, variare debent incolarum mores. *Hominum enìm mores loci naturam imitari*, dixit ipſe Medicinæ Parens.

§. III.

De influxu climatis in facultates intellectûs.

Jamjàm videtur audire quemdam pietate conſpicuum, inſurgentem in gratiam dogmatum fidei, ſupercilia ſubducentem, & exclamantem: proh! Inverſi mores! *Ergò clima influit in animam; ergò anima ſupponitur materialis* : aſt, advertat vir ille religioſus & nimium forsàn acerbus interpres, me maximê venerari dogmata de ſpiritualitate animæ & ne quidquam ex illis detrahere velle ; ſed obteſtor illum virum alio modo magis benevolo, magiſque chriſtianæ caritati conſono hunc textum interpretari : nimirùm cum omnes orthodoxi profiteantur exiſtere leges unionis animæ cum corpore, volui immutationes à climate inductas in corpore, per conſenſum in mentem tranſmitti.

Notatum volo me non excurrere in illa climata extrema,

quæ

quæ vel à calore fervente aduruntur, vel quæ corripiuntur ſæviente frigore: in illis inertia, animi dejectio, mentem ſterilem reddunt; in illis, corporis habitus, mentis facultates, vix unquàm evolvuntur.

Nùnc luſtra mecum auſtrales plagas : dicta factaque hujus cœli incolarum, volve; ubìcumque admirari dabitur imaginationem ardentem, quæ mentem rapit, eamque vehementer concitat: ibì occurrunt imagines giganteæ molis, immoderatæ rerum adumbrationes, allegoriæ, parabolæ: omnia redolebunt animam ſublimem, ſed altius, quam par eſt, & ultrà veri limites frequenter evectam (*x*).

In plagis minùs fervidis, imaginandi vis redundans, exuberans dicendi genus, ubìcumque ſeſe prodent & micabunt; indulgebit ingenium deſcriptionibus vividis voluptatis, &c. Alium ſibi finget mundum, quaſi magicâ arte adornatum; ibi occurrent præſtigia cujuſcumque generis, *des Eſprits aëriens, des Fées, &c.*

Magis verge versùs boream, ſensìm nimia imaginationis ubertas emendabitur; hancque mentis facultatem temperabit ratio exquiſita, quæ nihil niſi cohærens, niſi caſtigatum emittet.

Propiùs versùs polum progredere: obtundetur ſenſim imaginandi vis, niſi aliundè cauſæ morales eàm inſtigent, acuant: ſi eam accendat libertatis intimus ſenſus, magnas & ſublimes elucebunt imagines, ſed quaſi in profundâ nube lumen emittentes: ingenium in his plagis ſectabitur ſtudia in quibus acer longèque protracta reflexio requiritur; ibì valdè promovebuntur, matheſis, ſcientia rerum naturalium, & alia quæ laboris conſtantiam requirunt.

Luſtrentur in Indiâ, Arabiâ, Italiâ & Galliâ, &c. Præ-

(*x*) La réponſe de MAHOMET, aux ménaces des Coracites, marque à la fois ſon caractère, & la maniere de penſer & de s'exprimer, propre à la nation. *Quand vous viendriez*, dit-il, *avec le ſoleil à la droite & la lune à la gauche, je ne reculerois pas dans ma carriere.* VOLTAIRE, Eſſai ſur l'hiſt. gen.

cìpui auctores & vera eſſe aſſerta deprehendes : antiqui Indiæ Gymnoſophiſtæ philoſophiam, ethicam, fabulis, allegoriis ſcatentes obtulere : Poëſis arabum portentoſa erat, ſublimitate quâdam incohærente conſpicua; carebant illi populi, ſagaci illo mentis inſtinctu qui omnia ponderat & ad rationis bilancem perpendit (*y*) : vel enim inertiâ languentes, vel per fanatiſmum impulſi, quibus limitibus ſeſe continerent ?

Vivida moralis ſenſibilitas italam gentem exagitat, ad omnia quæ venuſtatem offerunt impellit, & ipſa inſtinctui obſequitur : hìnc domus incantamentis adornatæ, hìnc ſpiritus aërei cum hominibus conſortio devincti, & alia præſtigia paſſim occurrentia in operibus Ill. Petrarque, le Trissin, l'Arioste, le Tasse, &c. extitere quidem in Italiâ, Virgilius, Lucanus; ſed ille Auguſti aulâ perpolitus, annè potuit caſtigatiora non edere opera? iſte verò doctrinæ ſtoïcæ rigidus ſectator ſtilo imbelli ſummum animum Catonis valuiſſet-ne depingere ?

Per plura ſæcula, alternis vicibus, tùm diſſentionum civilium, tùm bellorum cùm exteris populis geſtorum, incubuerat gens gallica, ſcientiæ denſis obvolutæ tenebris jacebant : verùm noſtris ferè temporibus, laudis amor quem ſuggeſſit Cardinalis de Richelieu, quemque provexêre proſperi ſucceſſus Ludovici XIV, ſcientias introduxit ; moxque apud nos viguit illud felix conſortium ingenii ſublimis, rationis elimatæ, non fucati leporis, &c. In quocumque dicendi genere auctores decus immortale adepti ſunt : Corneille, Bossuet, Racine, Lafontaine, tanquàm totidem exemplaria orbi litterario proponentur.

(*y*) » Peut-être le génie, enfant de l'imagination qui crée, appartient-» il aux pays chauds féconds en événements merveilleux qui enflamment » l'enthouſiaſme ; tandis que le goût qui choiſit & moiſſonne dans les champs » où le génie a ſémé, ſemble convenir davantage à des peuples ſobres, doux » & modérés, qui vivent ſous un ciel heureuſement temperé. « *Hiſt. polit. & philoſoph.*

Patriæ, libertatis amor, emovit, evexit graves anglicani populi mentes; exaltata fuit imaginatio; & opera exindè ſubſequentia ſublimi caractere inſignita fuêre (quamquam tamen abſit harmonica omnium dotum attemperatio quæ viget apud Gallos). Sakespear, Pope, Milton, paſſim in altum quidem ignea jacula vibrant, quæ longè latèque horizontem colluſtrant, ſed quæ mollem ingenerare flammam in corde non valent.

Artes liberales vix in Germaniâ vigere poſſe, indicant, cœlum aſperum & ſæculorum annales; ingenia quædam in poëſi claruêre recentiori tempore, ſed parvus eorum numerus tarduſque proventus. Immenſæ molis opera, eruditio in omnibus diſperſa, ſatis indicant has mentes laboris acris & pertinacis capaces tardâ lentâque reflexione donari.

Luſtratis variis plagis, quàm gratum eſt deprehendere, Galliam, ad fovendas omnis generis ſcientias, pro voto eſſe ſitam! Quàm jucundum, ibì reperire eximiam dotum principii vitalis & moralis attemperationem jamjàm delineatam! Fas ſit in gratiam gallici climatis hìc ſubjicere quæ de eo profert cl. ſcriptor. » En voyant ce que le pa- » triotiſme a donné aux Anglois, malgré l'inactivité du cli- » mat; jugez de ce qu'il auroit produit ſur les François, où » le ciel le plus doux invite un peuple vif & ſenſible à » créer, à jouir. Un pays où l'on trouve, comme autrefois » dans la Grece, des eſprits ardents & propres à l'inven- » tion, ſous un ciel qui les échauffe de ſes plus beaux » rayons. Des bras nerveux ſous un climat où le froid » même excite au travail: des Provinces temperées entre » le nord & le midi, des Ports de Mer ſécondés par des » Fleuves navigables: des vaſtes plaines abondantes en » grains: des côteaux chargés de pampre & des fruits » de toutes les eſpeces: des ſalines qu'on peut multiplier » à ſon gré: des montagnes où croiſſent les plus beaux » bois: par-tout, une terre peuplée d'hommes laborieux: » les premieres reſſources pour la ſubſiſtance: les matieres » communes des arts, & les ſupefluités du luxe. En un

» mot, le commerce d'Athênes, l'induſtrie de Corinthe, » les Soldats de Sparte, & les Troupeaux d'Arcadie «. *Hiſt. phil. & polit.*

PARS QUARTA.

De influxu regiminis politici in hominem relativè ad ſcientias.

ANNE tantùm regimini politico tribuenda ſunt, ut arridet HELVETIO, præclara illa ingenia, quæ in orbe litterario, militarì, alio-vè, claritudinem adepta ſunt ? Si paulò ſeveriori examini ſubmittere tentemus quæ in utramque partem afferri poſſunt rerum momenta, contrarium eluceſcet ; magiſque prorsùs ac magis obvia erunt principia ſuperiùs ſtabilita, de, ſcilicet, præcellenti quorumdam ingeniorum natura : & me herclè comparationem depromendo à phyſicâ, forsàn de ſummis viris orbem interdùm colluſtrantibus, idem ſentiendum ac de cometis ; retrò-elapſa ſæcula eos habuêre ut meteora ex mirando elementorum in atmoſphærâ diſſeminatorum concurſu emergentia, dùm recentiorum Aſtronomorum inveſtigata originem clariorem illis aſſignarunt ; & in planetarum numero eos adſciſcentes, generalibus attractionis legibus ſubditos eſſe, compertum eſt.

Formas politicas verſanti, nec-non ipſarum influxum in præſtantes viros inveſtiganti, ſeſe quædam obtulêre phœnomena quæ certis adſcribere principiis conatus ſum ; hìncque ſequentia erui capita : demonſtrabo igitur, 1°. Regiminis politici conſtitutionem non-niſi præclaris viris deberi. 2°. Semel benè conſtitutum regimen politicum, ſummorum virorum fontem eſſe uberrimum. 3°. In evolvendis & excolendis quibuſdam ingeniis pro nihilo reputari. 4°. Non raró ſæcula ſimùl cum adminiſtratione publicâ ingenio evolvendo conferre. 5°. Quibus modis ſub quâcumque adminiſtratione

pubicâ excoli debeant dotes ingenitæ. Uno verbo, quid poſſit regimen politicum in ingeniorum evolutione, quid non, perpendemus.

§. I.

Regiminis politici conſtitutio præclaris viris debetur.

Per innumera ſæcula hùc illùc vagantes homines, procùl à ſocietate vixiſſent, niſi præſtantium virorum impulſu ad novum vitæ genus amplectendum fuiſſent adacti (z): iſti ſoli, facem præferentes fugare potuerunt profundas caligines quibus recondita jacebat gens humana: quid mirum igitur, ſi quidam cultus in variis terræ plagis ubì floruêre, eis adhibitus fuerit! Deorum organa eſſe ſummos illos viros, bonâ fide ſibi fingebat vulgus ignarum, & ad ſuperſtitionem pronum: juſſa Apollinis exequi Lycurgum, putabant Spartiatæ. Theseum inferos adiiſſe Proſerpinamque rapuiſſe, pro certò habebat Athenienſis populus: Romulum inter Deos adſcitum gloriabantur Romani, & ipſum N. Pompilium ſecreto Nymphæ Egeriæ colloquio gaviſum fuiſſe.

Ut-ut ſit de aſſertis illis fabuloſis, quibus obſcuratur antiquorum Legiſlatorum vita, iſta ſaltem veritas in mediâ caligine coruſcat, ſcilicèt, eos omnes præditos fuiſſe ingenio ſublimi, & communi multò præſtantiori; & egregiis illis dotibus ſuprà cæteros eminentes, ipſorum admirationem moviſſe.

Undè jamjàm concludere penès nos eſſet, ſummorum virorum opus eſſe regimen politicum: quò autem dilucidior pateſcat hæc veritas, ad obſervata peculiaria recurramus, quæ in phyſicis & moralibus inveſtigandis ſola tnta & ſecura ſeſe præbet methodus.

Lycurgus animo virili præditus, è regali faſtigio ad vitam privatam deſcendit, celebres adit populos, cum

(z) Rousseau, de l'Origine des conditions parmi les hommes.

ſummis viris verſatur, varias vivendi formas comparat; quæ bona, quæ mala inveſtigat; patriæ redditus, novum ei ſuppetit regimen politicum omnibus numeris abſolutum; nec iis limitibus ſe continet, obſtacula propoſitis oblata imperturbato removet animo, cives virtutum ſpectaculo demulcet, integrumque populum in ſtoïcorum ſcholam transformat.

Accenditur Theseus dùm coràm illò recitantur Herculis egregia facta, ipſius veſtigia premendi cupidine flagrat, monſtra, tyrannos, ſceleſtos, debellat, opprimit; atticæ vicos peragrat, homines ibì degentes verbis & vultûs authoritate ad urbem condendam allicit, urbſque Athenæ Græciæ decus evadit.

Mahumetes jamjàm quadragenarius vitam humilem & obſcuram degens, quaſi è ſomno exſuſcitatur; ſuperſtitioſam arabum gentem ad nutum verſare poſſe, percipit: novam igitur proponit doctrinam nationali indoli indulgentem, creſcit in dies aſſeclarum numerus; & brevi, novæ religionis conditorem, regiminis politici inſtauratorem, veneratur totus Oriens: porrò illi erat ſumma facundia, magna vultûs authoritas, intrepidus animus; eum ingenio poëtico fuiſſe præditum, teſtantur Hiſtorici, fidem facit l'*Alcoran*: tandem eum excoluiſſe rem medicam, palàm faciunt quos reliquit aphoriſmi; artis verò noſtræ notiones, ad ſuam doctrinam caracteri nationali accommodandam non parùm profuiſſe, nemo certè ibit inficias.

Non minori ingenii energiâ commendandos ſeſe præbuêre inſtauratores quorumdam populorum ævi recentioris. Alfredium Magnum tanquam gentis decus in ſæculo prorsùs barbaro, celebrat Anglia, ab illo reſtauratam publicam adminiſtrationem, reſtitutum ſcientiarum lumen profitetur. Gustavium nunquam fractum rebus adverſis, gerentemque impavidum animum in extremis anguſtiis, tandemque in ſolio publicæ felicitati proſpicientem, canit Sueſſia. Petrum Magnum in ipsâ adoleſcentiâ voluptatum illecebras conculcantem, duris militarium exercitiis incumbentem, gentes

artibus excultas ſecretò adeuntem tandemque ſcientiarum & artium ſuppellectili inſtructum , novis legibus novum populum creantem , extollent Moſcovitæ.

Nonnè concludere pronum eſt ex prædictis obſervatis , egregios quoſdam viros naſcentes dotibus eximiis à naturâ fuiſſe præditos , eos prudentiam , animi fortitudinem , omnia prorsùs agendi motiva in ſe reperire ? Magna quæque ſectari , ardua exequi , non circumſtantiis ſervire , ſed ipſa rerum adjuncta ad nutum diſponere , & conſiliis ſuis accommodare , poſſe ? Rebus adverſis increſcere diceres eorum animi vigorem : & ſicuti labor , corporis ritè conformati habitum indurat & validiorem reddit , dùm debilia ex naturâ corpora exhaurit ; ità & in moralibus , mens debilis citò rebus adverſis occumbit , ad deſperationem adigitur , dùm fortis & ægregia indoles in arduis novum robur acquirit , & acriori ſtudio conſilia proſequitur.

§. I I.

Regimen politicum ſemel benè conſtitutum ſummorum virorum eſt fons uberrimus.

Qui vividos animi affectus experiri eſt impar , is inter ſummos viros recenſeri fruſtrà aſpiret : illi ſoli motus proceloſi , quibus agitur cor hominis evolvere poſſunt ſi quidquam ingenii impertita ſit natura ; quanta igitur curâ obniti nonnè debet Legiſlator , ut inſtituta ſua exſuſcitent vividos illos & ad honeſta tendentes animi affectus ? Indè exſurget commotio quædam generalis , quæ in variis focis corroborata indèque reflexa , in reipublicæ incrementum tandem emerget : hoc præſtabunt imprimìs naturales hominis propenſiones ſtimulatæ , honores impertiti , mercedes aptè diſtributæ , &c. : publicam æſtimationem tanquam ſuo jure ſibi vindicat egregia mens ; ſi eâ potiatur , accenditur , ad magna tendit : ſin minùs , languet , torpore in medio curſu intercipitur.

Non alibì inquirendum cenſeo, cur romana civitas per tot ſæcula orbem univerſum temperavit : in illâ vigebat æmulatio, aderant enim virtuti præmia ; excolebantur viri percelebres ; aptèque pro ratione ingeniorum honoribus diſtributis, quilibet in loco à naturâ decreto conſtitutus ſortè contentus, civem intrà muros, civem extrà muros ſeſe præbebat. Quid aptiùs in generandis animis virilibus & amori patriæ fovendo apud Spartiatas, quàm aſſidua illa corporis exercitia, victus durus, juvenum in turmas diſtributio, & inter illos excitatæ contentiones, eorum conventus, ibique à parentibus ſermones habiti de rebus publicis, bello, amore patriæ, &c. : & in ætate adultâ, laudes à puellis impertitæ ſtrenuis bellatoribus, ſimùlque dicteria contra ignavos vibrata ? Hujuſmodi reſpublica potuit-ne non eſſe bellatorum ſcaturigo & publicæ rei eximiorum adminiſtratorum ?

Athenis quomodò non floruiſſent artes liberales ? In ludis publicis conferebantur præmia præſtantiſſimis artium fœtibus. In theatris, maximo omnium plauſu excipiebantur ſublimes Poëtæ ſicut & Pictores. Hìnc ſurrexêre EURIPIDES, SOPHOCLES, PRAXITELLES, APELLES &c., eædem cauſæ in populo haud multùm diſſimili eumdem effectum præſtitere : in Italiâ ſub AUGUSTO, deindè ſub auſpiciis domûs DE MEDICIS, & in Galliâ regnante LUDOVICO XIV. èlonginquo advecta artium miracula, honores, mercedes, ſocietates percelebres ex quibus, veluti totidem focis, in gentem diradiant ſcientiæ, naturam exſuſcitare viſa ſunt : exculta ſunt poëſis, pictura, eloquentia, &c. ſummique viri in iis æternam ſibi peperere famam. Alio prorsùs modo ſe commendare debuerunt rigidi fautores libertatis, ævo recentiori : altè infixus animò patriæ amor, omnium ſtudia hùc detorquet ; communi civium commodo proſpicere omnium eſt votum. Extollitur ergò anima, ſuperbèque reſpuit illam quæ ſervitutem redolere videtur artium culturam, quâque proceribus placere ſtudet homo ; politica igitur, ſcientia rerum naturalium, matheſis, cæteræque graves ſcientiæ, novum in

illa

illâ conſtitutione decus aſſequentur, deſpectæque jacebunt aut ſaltèm parvi æſtimatæ aliæ artes quæ venuſtati famulantur. Non igitur inquirendum quinàm in his ſe præſtitêre illuſtres, florentibus Romæ, Hollandiæ, Helvetiæ, &c. rebus.

In Angliâ nihil in libertate immutat factio eorum qui regiæ poteſtati dediti, perpetuum exerunt conamen contra rigidos libertatis fautores: quinimò in iſtis magis indè evehitur boni publici amor: placebunt igitur ſtudia ſcientiarum arduarum: imò qui in re litterariâ decus aſſequi volent, non leni dictione, non elegantiâ quâdam excultâ & imbelli, ſed imaginibus giganteæ molis, facundiâ tonante moreſque rigidos depingente, claritudinem adipiſcentur, indè Shakespear, Pope, Milton, &c.

In quâlibet igitur publicæ rei conſtitutione, ſunt quædam in omnium animis vigentes ſententiæ & animi affectus, ex quibus enaſcitur quædam tendentia generalis ad hæc vel illa objecta, quæ immutat, modificat quodammodò ibì ſoboleſcentia ingenia & eorum evolutioni plùs minùſve favet.

§. III.

In excolendis quibuſdam ingeniis, pro nihilo reputatur ſæpiſſimè regimen politicum.

Sunt ingenia quædam excelſa quæ hunc orbem phyſicum non incolunt, ſed quorum mens ſublimis altioribus diſquiſitionibus immerſa, invincibili quodam impetu rapi, in ſcientiarum incrementum, à ſummo Numine diceres: animus flagrans cupidine diſcendi vices ſupplet cujuſque externi ſtimuli. Sublimia quæque mente comprehendere, ſimùlque acri ſtudio obſtacula quæque removere, valet: cæca quædam propenſio ſummos hos viros fortiter intùs agitat, & ad limites ſcientiarum removendos impellit: inſtinctui obſequuntur, de phyſico parùm conſcii vitam degunt prorsùs intellectualem: pro judice, pro mercede ſibi ſoli ſufficiunt.

Annè ſummus Cornelius, dùm in lucem edit immortales tragædias, *le Cid*, *Cinna*, dùmque ſpectaculorum barbariem ingenii ſui energiâ diſpellit, ſolummodò accenſus fuit vili quâdam mercede? Et quarè Rotrou, Desmarets, beneficiis cumulati, nihil niſi mediocre in lucem emiſere?

Quid dicam de Archimede rebus geometricis profundè immerſo & ineluctabili fato ad matheſim adacto? Quid referam de Paschalio qui in ipsâ juventute librorum ſubſidiis deſtitutus juſſu parentum, Euclidis inventa ſibi propria, facit; ætateque adultâ, morbo in lectum detentus, cicloïdis proprietates evolvit, dùm tamen haſce ideas animum laſſantes, removere conatur?

Quid de Carthesio? Dùm ſuâ analyſi novam geometris viam pandit & integram in matheſi parit revolutionem? Annè opus habuit ſtimulo exteriùs quæſito? Sub quali regiminis politici formâ ardorem illum mathematicum ſuffocaſſet? Quis credat Newtonum, dùm ſuam condit corporum cœleſtium theoriam, quis credat, ipſius mentem tantummodò permotam accenſamque fuiſſe motivis prorsùs humanis? Ecquid hæc objecta præſtare potuiſſent in animam illius, qui naturæ ſanctuarium, ut ità dicam, reſeravit?

Lucanum ſilentio obruere nequaquâm fas eſt, ipſe ſub ferreo Neronis regno vixit, ſervitutis clauſtra audaci perrupit animo, in formam politicam graviter inſurrexit ſæpè ſæpiùs; diro ſub Nerone, cives infelices, ſeſemet infauſtum, palam profiteri nequaquàm terrebat: Quis Catonem, ipſomet aureo Titi, M. Aurelii, Antonini ævo, majori depinxiſſet animo?

Homerus ipſemet hùc illùc errans per varias Græciæ urbes egeſtate penè conſumptus deſpectuſque, divino quodam impetu ad ſublimia quæque ſpontè impellitur. Summi Heroës, Achylles, Agamemnon, Trojæ dira fata, immortalium Deorum conſilia, extollunt animam ipſius, cæterorumque vices ſupplent.

Quid addam de Miltone in Angliâ, Letasse in Italiâ, qui ab omnibus neglecti, ipſorumque deſpectis operibus, vitam humilem degebant?

Ipſimet Galilæo, mundo phyſico, ut in eo revolutionem ageret, dato, naſcenti undèquaqe offeruntur obſtacula: terram motu donari circà ſolem aſſerit, mox tribunali inquiſitionis damnantur aſſerta ipſeque phyloſophus, quemlibet gradum (etſi principiis mathematicis aſtructum) quaſi errore ſignatum, delebant theologi: invitis tamen illis innacceſſiſque quodammodo telis, inſtinctui phyloſophico ſemper obſecutus eſt, phyloſophiam hùc-uſque tenebris obvolutam in lucem edidit, immenſumque horizontem monſtravit ſubſequentibus forsàn felicioribus.

Ex prædictis deprehendere datur, in quibuſdam ingeniis, equidem rariſſimis, nequaquàm conferre regimen politicum; ſummi tales viri, à formâ publicâ nullum repetunt ſubſidium; mens propriâ vi impulſa eximias dotes ſuas, ſola evolvit, explicat: imaginatio ſcilicèt accenditur, corroboratur judicium, tùm veterum ſcriptorum auxilio, tùm meditatione aſſiduâ & profundâ in quâ de ſæculo ſe totos ſubſtrahentes, patres alloquuntur, & veritatem apud antiquos nudam reperientes, quaſi vivâ voce ab illis edocentur: ſicque invitis quibuſcumque circumſtantiis, ſublimia ſectantur, & ex voto ad propoſita aſſurgunt.

Etſi viri illi ex ſeipſis ad ſupremum gradum, independenter à formâ politicâ, evecti fuiſſent; attamen non inficias ibo, quoſdam, tùm poëtas, tùm oratores, &c. Non - nihil deprompſiſſe ex magnatum conſortio: Virgilius enìm, quamquàm ſummo præditus ingenio, ingenitas dotes multùm tamen excoluit ſub Auguſti Imperio, forsànque indè repetiit illud molle atque fauſtum ubìque in operibus diſperſum; undè Horatius, camænas rure gaudentes illi annuiſſe, dixit. Racinius pariter regno Ludovici XIV. hanc ſuavem & fluentem carmina condendi libertatem, elegantiam nuſquàm interruptam, quibus immortalitatem eſt conſecutus, prorsùs debet; ſed, ut ut ſit, Racinius, Virgiliusque eximii poëtæ extitiſſent in quocumque regimine politico, forſanque audaciori volatu ad ſublime illud ſurrexiſſent, quod in eorum ſcriptis deſideratur; mens enìm obſtaculis exercita, validior evaſiſſet.

§. IV.

Sæcula ſæpiſſimè, ſimùl cum adminiſtratione publicâ, ingenio evolvendo conferunt.

Si hiſtoricorum annales evolvas, videbis varias orbis plagas ſucceſſivè experiri benignum ſcientiarum & artium influxum: non loquar de Chinenſi Imperio in quo aliundè variæ circumſtantiæ ulteriori ſcientiarum progreſſui ſimùlque earum degenerationi, obſtant; ſed ab Indiis originem ducendo, ab antiquiſſimis temporibus, extitere ſtorentes in illis ſcientiæ; forsàn indè eas recepit Ægyptus: indè migratæ, Græciam inauſpicato ſplendore illuſtrant; poſteàque ad littora Tiberis ſub Auguſto confluunt: remeant indè in orientem ſub auſpiciis Mahumetis & Calipharum; denuòque Romam repetunt à principibus domûs *Medicis* benevolè exceptæ; poſteriùs in Galliâ ſedem habent, obtemperantes voci Ludovici Magni: plagæ mox ipſæ ſeptentrionales quaſi ſuo jure eas ſibi vindicant, inſtaurant; Gustavius in Sueſſiâ, Petrus Magnus in Moſcoviâ, Fredericus in extremis Germaniæ plagis: tandem felix aurora lucidum diem prænuntiat Americanis ſeptentrionalibus, parique paſſu apud illos ſcientiæ libertatiſque amor quaſi inito fœdere procedunt.

Sunt igitur ſcientiarum ſæcula, quæ natura, quaſi manu cœcâ, variis diſtribuit populis, ut exindè conſequenter, in ingeniorum evolutionem conferant, ſimùl cum regimine politico; undè ſicut hominum ità & populorum ingenia, ætatum vices, ut ità dicam, experiuntur: in ſtatu infantili nihil magni promere poſſunt, vana ſunt eorum prorsùs tentamina: ſed quandòque ſummus homo prodit in auras: populus anteà in obſcuritate degens, orbis jamjàm admirationem movet: tenebræ diſpelluntur & decore inauſpicato ſeſe attollunt ſcientiæ. ſicque lentiori gradu fit ſcientiarum inſtauratio. Profundam ignorantiam ſubſequuntur, anxietas quædam, ineluctabilis diſcendi cupido, evolvuntur ſcriptores percelebres, commentariis ſcripta illuſtrare, mens adhùcdùm ſatagit: ſuccedunt pau-

latìm hypotheſes, imaginationis deliria: interìm tamen variis illis conatibus, exercetur, corroboratur mens humana: Præclara lucent interìm ingenia, quæ longè altiora ſectantes, ſcientiarum progreſſus accelerant, aliis è longinquo novum campum oſtendunt. Artes liberales excoluntur, intraque breve tempus perfectionis culmen attingunt. Tandemque maturitatem adeptum ingenium humanum altioribus ſtudiis ſe immiſcet: excoluntur, ſcientia naturalis, matheſis &c. hæc omnia verà deprehendere fas eſt, attendendo dùmtaxat ad progreſſum quemlibet ſcientiarum in diverſis terræ plagis.

§. V.

Quibus modis, ſub quâcumque adminiſtratione publicâ, excoli poſſint animi & ingenii dotes ingenitæ

Non agam ibì de eâ quæ ſuperiùs expoſita fuit ingenii excolendi methodo; quæſtio tantùm eſt de cavendâ illa animi dejectione, quæ in quibuſdam viris, à pravâ adminiſtratione aut civium ſuorum præjudiciis, induci poteſt.

Porrò ex causâ cognitâ mali, facilè patet quænam adhibenda ſit medela, & quemadmodùm in illis morbis in quibus adeſt virium proſtratio adminiſtrantur cardiaca & omnia quæ vires inſtaurare valent, ità & procedendum in moralibus; anima languet-nè in quodam ſtatu torporis & indolentiæ, tùm eò quòd adminiſtratio publica ad deſpotiſmum vergens abjectos reddit animos, tùm quia vigentes præjudicatæ opiniones nihili aut ſaltem parvi faciunt ſcientias, tùm etiàm propter æmulorum invidiam & inſectationem? Nocturnâ diurnâque manu verſentur illi auctores qui maſculam redolent libertatem, meditatione profundâ, altè animo defigantur eorum ſententiæ, novarumque germina evadant: in hunc autem ſcopum plurimùm conferunt, antiquorum morum adumbratio, Græcorum, Romanorum-vè, florentibus utriuſque populi rebus, hiſtoria: advocetur imprimis ille Plutarchus qui animi humani reconditiſſimos fines ſcrutans ſummos antiquitatis viros propriis coloribus depinxit, retròque elapſa ſæcula denſis tenebris obvoluta

luci reddidit ; avidis auribus excipiantur graves illæ ſententiæ , nobiles illi animi aſſultus , illa præclara facta , quibus poſterorum venerationem adepta eſt antiquitas : coœtaneus fiat ſcriptor horumce virorum , ad eorum normam mores componat , indè labefactam animi energiam emendet.

Sed forsàn adhùc ulteriùs progrediendum eſt ; procùl exiſtendum eſt à mundo iſto phyſico, Zenonisque doctrinæ adhærendum ; quicumque veram phyloſophiæ ſtoïcæ naturam perſcrutatus eſt , neſcio quo impetu, ad ipſius celebrationem adigitur , etiamſi in gratiam ipſius non militarent obſervata omnium temporum & locorum : omnis iſte univerſus in nihilum delabitur præ oculis ſtoïci : prorsùs exiſtit in alio mundo intellectuali , in quo nihil occurrit niſi magnum & ſublime : dignitates , honores , voluptates ſenſuum , pro nihilo habentur , virtus ſola proprio lumine coruſcans cæterorum objectorum ſplendorem obnubilat : quinimò , ipſa mala phyſica intrepidum animum è ſuâ ſede non dimovent ; victu duro , vitâ auſterâ & laborioſâ ſenſibilitatem imminuit , & ſi mala nihilominùs adoriantur , ea contemnere & iis nequaquàm attendere ſibi proponit : cognito influxu & imperio animæ in phyſicum corpus , illa non ampliùs videntur imaginaria.

Si quiſquam de hâc re dubium movere velit, in ſtoïcæ doctrinæ rigidos ſectatores Alexandrum , Cæsarem , Epaminondam, Periclem, Catonem, &c. Attentè oculos injiciat ; ulteriùs proſequatur , videbit hanc ſectam ſub tyrannide quorumdam Imperatorum , omnium virtutum ſpectacula promentem ſublimeſque animos in auras edentem, dùm omnes alii cives in fœdam ſervitutem ruebant : ſed quod forsàn maximum eſt , perſpecta habeatur hæc philoſophia ſolio inſidens ; contemplari liceat , Titum , M. Aurelium, Antoninum, proh Dii ! Quid magis venerandum oculis exhiberi poteſt ? Non homines , ſed entia cœleſtia in terris verſari , quiſquis attendet , putabit.

FINIS.

INDEX RERUM.

RATIO OPERIS. . . . . Pag. 5.

PARS PRIMA.

De differentiis à naturâ poſitis in præſtanti organiſatione principii vitalis & intellectualis. . . . . Pag. 9.

Sectiones Partis primæ.
- I. De connatâ differentiâ in ſenſu & motu. p. 11.
- II. De connatâ varietate in ſenſuum organis relativè ad ſcientias. . . . . p. 15.
- III. De nativis præſtantis animi affectibus. p. 17.
- IV. De nativis præſtantis intellectûs facultatibus. . . . . p. 19.
- V. De influxu reciproco mentem inter & principium vitale. . . . . p. 21.

PARS SECUNDA.

De influxu educationis in hominem relativè ad ſcientias. . . . . Pag. 27.

Sectiones Partis ſecundæ.
- I. De culturâ ſenſibilitatis phyſicæ & mobilitatis. . . . . p. 28.
- II. De culturâ organorum ſenſuum. . p. 30.
- III. De culturâ animi affectuum. . . p. 33.
- IV. De culturâ intellectûs facultatum. p. 34.
- V. De culturâ influxûs reciproci mentem inter & principium vitale. . . . . . p. 39.

PARS TERTIA.

De influxu climatis in hominem relativè ad ſcientias. Pag. 40.

Sectiones Partis tertiæ.

I. De influxu climatis in ſenſum & motum. p. 42.
II. De influxu climatis in affectus animi. p. 46.
III. De influxu climatis in facultates intellectûs. . . . . p. 48.

PARS QUARTA.

De influxu regiminis politici in hominem relativè ad ſcientias. . . . . Pag. 52.

Sectiones Partis quartæ.

I. Regiminis politici conſtitutio ſummorum virorum eſt opus. . . . . p. 52.
II. Regimen politicum ſemel benè conſtitutum ſummorum virorum eſt fons uberrimus. . . . . p. 55.
III. In excolendis quibuſdam ingeniis, pro nihilo reputatur ſæpiſſimè regimen politicum. p. 57.
IV. Sæcula ſæpiſſimè, ſimùl cum adminiſtratione publicâ, ingenio evolvendo conferunt. . . . . p. 60.
V. Quibus modis, ſub quâcumque adminiſtratione publicâ, excoli poſſint animi & ingenii dotes ingenitæ. . . . . . . p. 61.